



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

Febeo, Francesco Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1704

VD18 13560743-001

Liber Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](#)

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI LIBER PRIMUS.

T I T. I.

De Jure Personarum, ac primo de Summo Pontifice, de Cardinalibus, & Legatis.

1. **R**æfactis in præcedenti titulo generalibus fundamentis, aggredimur singulariter Institutiones partium Sacri Juris; & cum hoc versetur potissimum circa personas, circa res, circa judicia, circa crimina, & pœnas, ut diximus ab initio; exordimur à Jure Personarum: quia, ut dicitur in §. fin. instit. de jure nat. gent. & civ. parum est Jus nosse, si personæ quarum causa constitutum est ignorentur.

2. Duo sunt universalia genera personarum pertinentium ad Ecclesiam unum laicorum, alterum clericorum, ex cap. Duo sunt 7. 12. q. 1. clerici dicuntur, qui Ecclesiasticis officiis sunt destinati per primam Tonsuram, aut per Ordines Ecclesiasticos: eamque denominationem accipiunt à græca voce ληγος. quæ idem significat quod latinè Sors, vel hereditas, eo quod in sibi Ordinatione, vel assumuntur in hereditatem Domini, vel assequuntur hereditatem in ipso, ut dicitur in c. Cum secundum 16. de præb. Laici vocantur, qui nullo Ordine Ecclesiastico,

neque prima Tonsura sunt Ecclesiasticis munericibus deputati , unde negotiis sacerdotalibus vacant : hanc autem denominationem desumunt à græca voce λαός , quæ significat idem quod Latinè *Populus*.

3. Totius Ecclesiæ Christi supremum in terris visibile caput est Summus Pontifex, ejusdem Christi Vicarius , & Successor Petri Apostolorum Principis. Ejus summa dignitas , atque potestas sicut orta est immediate de Jure Divino ex can. *Sacrosancta 3. dist. 22.* & ex can. *quamvis universæ 4. dist. 21.* ita etiam ab infallibili Spiritu sancti lumine semper regitur , ne unquam errare possit quicquidcumque vel tamquam publicus Ecclesiæ Doctor , & vel tanquam supremus Ecclesiæ Legislator aliquid definiat sive circa veritates fidei , sive etiam circa morum decreta , ut post antiquiores Patrum latè tradit Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. & seq. Hinc Ecclesia Romana , quæ ab ipso immediate regitur , dicitur mater , & magistra omnium aliarum Ecclesiarum , ex c. fin. de fore compet. ita ut qui se ab illa separaverit vel seständo falsa dogmata , vel Ecclesiasticam unitatem scindendo , habendus sit tanquam hæreticus , aut schismaticus , & ab electorum numero prorsus extraneus , quemadmodum extra arcam Noe inventi , diluvii vastitate consumpti sunt.

4. Sicut autem Christus Dominus Apostolos

Ios habuit, & Petrus Co~~o~~p^oastolos, arque Presbyters, quorum opera Ecclesiam propagavit, & gubernavit: ita Summus Pontifex pro universalis regimine totius Ecclesiæ habet adjutores suos, & assessores, qui vocantur Cardinals Sanctæ Romanae Ecclesiæ, eo quod sunt veluti cardines ejusdem Ecclesiæ, vel quia specialiter inserviunt Sedi Apostolicæ, quæ Axis est, & Cardo aliarum Ecclesiarum, ut explicat Glos. in Extrav. Execrabilis 4. de Præb. inter. commun. v. Cardinalibus. Illorum gradus & ordo triplex est. Alii enim sunt Episcopi Cardinals: alii Presbyteri: alii Diaconi. Episcoporum Cardinalium tituli olim 7. fuerunt, nempè Ostiensis, Silvæ candidæ alias S. Ruffinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Albanus, Tusculanus, ad hunc finem primitus instituti ut singulis hebdomadæ diebus super altare Beati Petri Missarum solemnia celebrent, unde vocati quoque fuerunt Cardinals hebdomadarii, ut refert Eman. Gonz. in c. His quæ XI. de Majorit. & Obed. Nunc sex sunt, quia Titulus S. Ruffinæ autoritate Callisti II. unitus fuit Episcopo Portuensi. Tituli Presbyterorum Cardinalium sunt 50. Diaconorum autem sunt 14. ex Constit. 50. Sixti V. quæ incipit Postquam verus ille. Cardinalium dignitas est maxima infra Summum Pontificatum ex 15. constit. Eugenij IV., quæ incipit Non me-

l'icovi : faciunt enim quasi unum corpus cum summo Pontifice , eo proportionaliter modo quo canonici cum Episcopo , ejusque coadjutores existunt in executione muneris sacerdotalis . Vacante autem Sede sunt Pontificis Electores ex c. *Licet 6. de elec[t]o.* Et c. *ubi periculum 3. eod. in 6.* Plura circa dignitatem cardinalitiam si quis scire desiderat , consulat *Cohell. in suo tract. de notitia Cardinalatus , Barb. Juris Eccl. lib. 1. cap. 3. & 4. aliosque ab ipsis relatos.*

5. Summo Pontifici in gubernanda Ecclesia , præter Cardinales , inferviunt etiam Legati , & Nuncii , quo nomine ii veniunt , quibus committitur aliqua certa civitas , vel provincia , ubi personam Pontificis repræsentant , & ordinariam Jurisdictionem exercent , ut constat ex toto Decretal. tit. *De off. Legati.* Multiplex autem est talium Legatorum species . Aliqui enim sunt qui dicuntur Legati de Latere , de quibus sermo est in c. *Decreto 11. Si quis Episcopus 35. 2. q. 6. c. volentes 8. de off. Legati , aliisque Juribus.* Hoc nomen tribuitur tantum Cardinalibus quando mittuntur , quia scilicet cum Cardinales ex suo munere assistunt Summo Pontifici , si contingat ipsorum aliquem mitti , dicitur mitti quasi de la ere Summi Pontificis , ut explicat *Glos. in c. 1. de Off. Legati v. Legationis , & Glos. in cap. Excommunicatis 9. eod. tit. v. commissam.*

6. Alii sunt qui dicuntur sin aplieiter Nuncii , quod



quod nomen tribui solet iis, qui mittuntur à Summo Pontifice ad aliquam Provinciam, seu ad aliquod negocium *cum potestate Legationis*, & non sunt Cardinales, de quibus sermo est in c. Excommunicatis 9. & c. volentes 8. De Off. Legati, eorumque exemplum est in Præfulibus qui mittuntur ad Principes. Non dicuntur autem mitti de latere, quia cum non sint Cardinales, non habent ex suo munere assistere Summo Pontifici. Si tamen de facto contingat, aliquem à Summo Pontifice ex Aula Romana mitti & mandatum ab eodem recipere vivæ vocis Oracle, mitti solet cum potestate Legati à Latere. Dixi *cum potestate Legationis* : quia si quis mittatur ad Urbem aliquam seu Provinciam Ecclesiæ cum sola jurisdictione ordinaria quo-ad temporale regimen ejusdem Urbis, seu Provinciæ, & Cardinalis non sit; is non dicitur Nuncius, sed Gubernator.

7. Alii demum Legati sunt, qui habent munus Legationis annexum suæ dignitati, & dicuntur Legati natī, quia scilicet per hoc ipsum quod illam dignitatem acquirunt, absque alia speciali destinatione fiunt ipso Jure Legati, ut est exemplum in quibusdam Archiepiscopatibus, qui habent sibi annexam dignitatem Legationis, ut videre est in c. i. De Off. Legati c. i. De appellat. & c. i. ut lite pendente.

8. Inter omnes istas Legatorum species, au-

B 7

autho-

thoritas , & jurisdictione Legatorum de Latere maxima est , Non solum enim possunt in sua Provincia id quod Episcopi in suis Diœcesis; sed amplioribus quoque privilegiis potiuntur, ut fusè tractant *Canonistæ* in tit. *de Offic. Legati*, atque etiam colligi potest ex litteris Apostolicis, quæ Legatis , aut Nunciis dari solent cum mandato Legationis, & cum expressione potestatis, quæ ipsis communicatur. Videri potest Barb. lib. 1. Jur. Eccl. cap. 5.

T I T. II.

De Episcopis.

1. POST S. R. E. Cardinales, Legatos , & Nuncios qui Sedis Apostolicæ autoritatem representant, consideranda venit dignitas Episcopalis, cuius Ordo maximus est in Ecclesia, unde ipse Summus Pontifex sese appellat Episcopum , quando ab Ordine se denominat, ut notat Glos. in proemio sexti Decretalium *v. Episcopus.*

2. Multiplex autem est Episcoporum gradus in Ecclesia. Alii enim sunt qui dicuntur simpliciter Episcopi ; alii Archiepiscopi , alii Primates, alii Patriarchæ. Episcopi vocantur qui pro spirituali regimine Civitatibus præfunt, ita dicti à græca voce , quia sunt quasi superinten-



dentes seu speculatores super populi , & Gre-
gis sibi commissi mores, vitamque invigilantes,
ut explicat Ifid. relatus à Gratiano in *c. Cleros 2.*
dist. 21. vers. Episcopus autem.

3. Archiepiscopi sunt qui & habent gregem
sibi subjectum , & præterea præsunt Episcopis
unius Provinciæ , ita dicti à græca voce quia
sunt quodammodo Principes Episcoporum , ut
explicatur in *cit. c. Cleros vers. Inde Archiep-*
copus. Dicuntur etiam Metropolitani, ut constat
ex c. 2. 6. q. 3. quia Sedem habent in civitate ca-
pite unius Provinciæ, qualis civitas vocari so-
let Metropolis, quasi mater Civitatum. Epis-
copi autem ejusdem provinciæ subjecti Archie-
piscopo dicuntur ejusdem suffraganei ut videre
*est in *cit. c. 2. & in c. suffraganeis 11. de Elect.**

4. Patriarchæ , & Primates si solam vocum
significationem consulas, parum vel nihil inter
se differre videntur : utroque enim nomine si-
gnificantur, qui & supra gregem sibi subjectum,
& supra Episcopos , atque Archiepiscopos plu-
rium provinciarum potestatem habent, ut per
se satis indicat ipsa nominum derivatio : *Patri-*
archa enim græcè idem significat, quod latine
*Patrum Princeps, ut explicatur in *cit. c. Cleros**
vers. Patriarcha. Primas autem est idem quod
sedem habens in prima civitate , ex c.
Nulli 2. dist. 99. quo nomine civitates illæ ap-
pellatae sunt, quæ reliquis plurim provincia-
tum

tum civitatibus dominabantur , in quibus sicut pro regimine sacerdotali instituta fuerat Præfectura, quæ ad plures provincias jurisdictionem extenderet; ita & pro gubernatione Ecclesiastica posita fuit Sedes Episcopalis, cui reliquæ plurium provinciarum sedes subderentur, ut constat ex c. *Provinciæ i. dist. 99.*

5. Non obstante tamen ea vocum in significando similitudine usus obtinuit, ut Patriarchæ nomen quibusdam tantum specialibus Primitibus tribuatur , relichto reliquis solo nomine Primatis. Præcipui autem illorum sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus , infra Romanum Pontificem, qui non solum est Supremum in terris visibile caput totius Ecclesiæ ; sed est præterea specialis Episcopus Romanæ Urbis , & Occidentalium Provinciarum Patriarcha, quo nomine specialiter ipsi subditur Italia tota cum Insulis, Gallia, Anglia , Scotia , & Hybernia, Hispania cum Insulis fortunatis , & Balearibus, tota Germania Superior, & Inferior, Dalmatia, Illiricum, Bohemia, Polonia cum Livonia , & Lituania, item Dania Norvegia , & Suetia cum Insulis Scandiæ, Islandiæ, Gothiæ, aliarumque septentrionalium , item Pannonia cum Transilvania, Bossina, & aliis, Africa, Numidia , & ultraque Mauritania , Cæsariensis, & Tingitana.

6. In-

6. Infra Romanum Pontificem antiquitus fuit primus Alexandrinus, & secundus Antiochenus, ut patet ex *can. Sacrosancta 3. dist. 22.* satisque innuit canon concilii Niceni relatus in *c. Mos antiquus 6. dist. 65.* Utraque enim illa sedes fundata fuit à S. Petro, qui Antiochiae per aliquod tempus personaliter sededit, & Alexandriam nomine suo Marcum misit; ac præterea in utraque civitate runc temporis erant pro seculari regimine Præfecturæ præcipuae, circumiacentium regionum provinciis jus dicentes, ad cujus regiminis similitudinem instituta fuit, ut diximus, Ecclesiarum Patriarchalium hierarchia. Ex qua etiam ratione factum est ut sedes Alexandrina Antiochenam præcederet, non obstante quod Antiochena fuerit à Petro personaliter instituta, & Alexandrina per Marcum; quia scilicet Præfectura Alexandrina erat Augustalis, & majoris dignitatis, quam Antiochena, ut habetur ex *ff. & C. de Offic. Præf. Augustal.*

7. Patriarchæ Alexandrino subdita fuit Ægyptus, Lybia, Pentapolis, & Ethiopia. Antiocheno autem Orientalis Ecclesia, quæ complectebatur Syriam, Assyriam, Mesopotamiam, Medianam, Parthiam, Persiam, reliquasque Asiae partes usque ad Indiam Orientalem.

8. Sedes Hierosolymitana, quamvis esset Apostolica, utpote fondata per S. Jacobum,
jura

jura tamen Patriarchatus ab initio non habuit, imo subdita fuit Cæsareæ Metropoli Provinciae Palestinæ, ut constat ex *can. 7. Concilii Niceni*, quanvis in signum honoris, eo quod in ea Urbe jacta fuissent prima Christianæ Religionis fundamenta per Christi Domini Passionem, & mortem, prædicationemque Apostolorum, ibidemque Sedem fixisset Jacobus Apostolus suoque sanguine consecrasset; concessum fuerit, & cit. *can. 7. Concilii Niceni confirmatum Hierosolymitanus Antistiti*, ut in conciliis generalibus primum locum haberet infraAlexandrinum, & Antiochenum supra omnes Metropolitas.

9. Intra hos honorariæ præminentiaæ fines se cohibuit Hierosolymitanus usque ad concilium Ephesinum, à quo impetrare curavit jura Patriarchatus, productis insignibus suæ Ecclesiæ prærogativis; irrito tamen conatu, resistente præfertim Cyrillo Alexandrino, ne aliquid decerneretur contra Canonem concilii Niceni, ut tradit S. Leo Papa in sua Epistola 62. ad Maximum Antiochenum: ex qua etiam ratione idem S. Pontifex reprobavit decretum editum à Patribus Concilii Calcedonensis post 20. annos subsecuti, quo Sedes Hierosolymitana, declarata fuit Patriarchalis, attributis ei tribus Palestinis, ab Antiocheno Patriarchatu detractis. & quanvis idem Calcedonense decretum fuerit approbatum in quinta Synodo: attamen

men nec eam approbationem confirmatam fuisse à Summo Pontifice clare colligitur ex responsis Nicolai 1 ad quæsita Bulgarorum cap. 92. ubi Sedes primarias verè Patriarchales dicit esse tantum Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam ; Hierosolymitanam autem esse solo nomine, & quoad signa honoris Patriarchalem, servata propria dignitate Metropoli, juxta canonem concilii Niceni. Tandem successu temporis, cum aliud circumstantiæ suaderent, in concilio Lateran. IV. confirmata fuit ea dignitas ab Innocentio III. ut constat ex c. *Antiqua* 23. *De privilegiis*, quod est ex eo Lateran. concilio desumptum, ubi etiam decernitur, ut Sedes Hierosolymitana sit quarta Patriarchalis infra Constantinopolitanam, Alexandrinam, & Antiochenam.

10. Similibus fere gradibus ad Patriarchatum ascendit Episcopus Bizantinus, qui fuit ab initio suffraganeus Metropolitanus Heraclensis in Thracia, ut constat ex Gelasii epist. 13. *ad Accarium*. Sed cum postea Bizantio facta esset ingens accessio dignitatis, translatione Imperii per Constantinum, à quo Constantinopolis vocatum est; multum etiam præcellentiae accessit ejus urbis Episcopatui, ita ut in concilio Constantinopolit. 1. decretum illud editum fuerit: *Episcopus Constantinopol. habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod Constantinopolis*

Irinopolis sit nova Roma. Huic tamen decreto
(sive per illud vere tribuerentur jura Patriar-
chatus , sive solum concederetur honoraria
præminentia , quemadmodum olim concessa
fuerat Hierosolymitano) restitit Romana Se-
des , quæ illius Concilii ea solum approbavit ,
quæ contra Macedonium definiverat , ut con-
stat ex epist. 31. S. Gregorii lib. 6.

11. Similem quoque exitum sortita est con-
stitutio concilii Calcedonensis , qua , & Patri-
archalis potestas , & supra reliquos Patriarchas
infra Romanum Pontificem præminentia
Constantinopolitanæ Sedi concessa fuit , attri-
butis ei Dicecibus Thraciæ , Ponti , & Asiæ ,
cui constitutioni constanter quoque obstitit S.
Leo Canonum Nicenorum fortissimus Custos ,
ut pater ~~ex eiusdem~~ litteris 53. & 54. datis ad
Imperatorem , & ad Anatolium Constantino-
politanum Antistitem , qui voluntati Sancti
Pontificis acquieverunt . Successu tamen tem-
poris , quidam Anatolii Successores , quod ha-
bentes per conciliorum decreta firmatum non
fuerat , obtinuerunt per Imperatorum leges ,
quibus , adhærendo prædictis decretis concilii
Constantinopolitani , & Calcedonensis , statu-
tum fuit , ut Episcopus Constantinopolitanus
primus esset inter Patriarchas infra Summum
Pontificem , ut videre est in Authent. de Eccle-
siast. titulis . Ideoque sancimus . collat. 9. quod
statu-

statutum utcunque fuerit omni validitate vacuum , ansam tamen præbuit pluribus Constantinopolitanis Præsulibus jura sibi Patriarchalia conservandi. Tandem post omnes istos irritos conatus , variatis post aliquot sæcula circumstantiis, Constantinopolitanæ Sedi primus ille, infra Romanum Pontificem, Patriarchalis dignitatis gradus indultus fuit à legitima Potestate. decreto Innoc. III. in concil. Lateran. IV. quod refertur in supra cit. c. *Antiqua 23. de privilegiis*, ubi etiam specialia quædam Patriarchalium quatuor Sedium privilegia recentur.

12. Præter hos quatuor primarios Patriarchas, dantur etiam in Ecclesia Primates aliqui, quibus ex recepta loquendi consuetudine nomen Patriarchæ tribuitur. Quinam autem illi sint, & in quibus regionibus, videri potest distincte narratum apud *Azor. Inst. moral. p. 2. lib. 3. cap. 35.*

T I T. III.

De potestate Episcoporum.

1. His circa varios Episcoporum gradus prælibatis, ut nonnihil etiam circa ipsorum jura, & potestatem breviter explicetur; notandum est eos omnes differre in aliquibus, in aliis quibus

quibus convenire. Pro quibus sciendum est, Episcopalem potestatem in universum reduci ad tria membra. Quædam enim Episcopo competunt ratione Ordinis: quædam ratione jurisdictionis: quædam ratione dignitatis. Ita *Ant. de Butr. in conf. 19.* quod fuisse læpius approbatum à supremis Urbis Tribunalibus testatur *Fagnan. in c. dilectus 18. de off. Ord. n. 5.*

2. Ratione Ordinis ea competit, quæ numerantur in *c. quamvis 4. dist. 68.* videlicet, esse Ordinarium Ministrum Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, Chrisma confidere, sacrare Oleum Infirmorum, quæ sunt de Jure Divino, seu ex Institutione Christi Domini annexa Ordini Episcopali: item competit Virgines consecrare, Templia, Altaria, Sacella, Vasa, & Vestes; quæ de Jure Canonico sunt Episcopis reservata.

3. Ratione Jurisdictionis omnia reliqua competit, quæ spectant ad regimen subjecti Gregis, qualia sunt v. g. beneficia conferre, causas audire, punire delicta, Synodum cogere, aliaque similia. Ubi obiter pro intelligentia Sacerorum Canonum notandum est, inter hujusmodi spectantia ad Jurisdictionem Episcopalem genericè acceptam aliqua dari, quæ speciali vocabulo dicuntur pertinere ad legem Diæcesanam; aliqua autem, quæ specialiter quoque pertinere dicuntur ad legem jurisdictionem.

ctionalem, de qua divisione sermo est in cit. c.
Dilectus 18. de off. Ord. aliisque Juribus. Ad legem Diæcesanam spectare dicuntur, quæ non extenduntur ad Regulares quamvis cæteroquin non exemptos à potestate Episcopi, seu in quibus Episcopus obligare non potest Regulares, sed Clericos tantum sacerdtales, ut tradunt Doctores ex c. 1.10. q. 1. Quæ autem extenduntur etiam ad Regulares non exemptos, dicuntur pertinere ad legem jurisdictionalem. Videatur *Azor. p. 2. Inst. mor. lib. 3. cap. 32.* ubi exponit in particulari quænam sint in quibus Episcopus possit aut non possit Regulares non exemptos obligare.

4. Demum ratione dignitatis Episcopo convenire dicuntur ea, in quibus nec Episcopalis Ordo, nec ulla Jurisdictionis exercetur; sed sunt potius quædam signa honoris, aut privilegia dignitatis Episcopalis.

5. Circa potestatem Ordinis, eidemque Ordini annexa de Jure Divino, unus alio Superior Episcopus esse non potest, quemadmodum circa potestatem Presbyteratus unus Presbyter alio superior esse nequit: Omnes enim æqualiter possunt valide ministrare ea Sacra menta, quorum sunt Ordinarii Ministri, puta omnes Presbyteri æqualiter valide consecrare, omnes Episcopi æqualiter valide ministrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, & sic de reliquis

Jure

Jure Divino annexis Ordini Episcopali , quæ per potestatem mere humanam à nemine auferri possunt, nec ulla tenus limitari quoad actus validitatem. Duxi quoad actus validitatem; secus enim est quoad licitum potestatis usum, qui per potestatem humanam eoarctari potest, imo & in totum suspendi, ut accidit quando infligitur pœna suspensionis, de qua sermo est in pluribus juribus sub tit. de sent. ex comm. & etiam extra casum suspensionis limitatur in particularibus Episcopis quoad subditos suos, quibus tantummodo regulariter ministrare licet possunt Sacra menta Confirmationis , & Ordinis, ut suis locis infra notabitur , ubi de his Sacramentis sermo erit. Quare quoad hoc unus Episcopus ampliorem habet potestatem quam alius, pro majori amplitudine Dioecesis , & numero subditorum. Idem procedit in reliquis ex Institutione Canonica pendentibus à potestate Ordinis Episcopalis, quæ illud insuper habent, ut pendeant ab humana potestate Ecclesiastica etiam quoad actus validitatem, quia Ecclesia posset Episcopum privare facultate validè consecrandi Templum ut probat Barb. Jur. Eccl. lib. I. cap. 11. n. 107. ex c. Ecclesiis 3. dist. 68. & ex c. Ecclesiis 18. cum duobus seqq. de consecr. dist. 1. ubi Ecclesiastis ab Arrianis Episcopis consecratae, iterum consecrari præcipitur. Idem dic de reliquis similibus.

6. Cir.



6. Circa potestatem jurisdictionis major est in supradictis Episcoporum gradibus inæqualitas. Id ut clarus elucescat, notandum est totam ejusmodi potestatem Episcopalem considerari posse, vel in ordine ad personas, vel in ordine ad res, super quibus exercetur.

7. Personæ eidem potestati subjectæ sunt quotquot existunt intra fines Diæcesis Episcopalis, nisi per speciale privilegium sint exemptæ, sive sint Clerici, sive Laici: cum eo tamen inter utrosque discrimine, quod Laici subdanatur tantum in iis, quæ concernunt Animæ forum, & quoad causas, & delicta spectantia ad Tribunal Ecclesiasticum, à quo puniri possunt Ecclesiasticis pœnis atque censuris; at Clerici subjecti sint etiam quoad causas civiles, & omnia criminæ, pro quibus judicari non possunt à potestate laica, ut inferius exponetur, ubi de Immunitate sermo erit.

8. Res eidem Jurisdictioni subjectæ sunt Ecclesiæ, Parochiæ, Monasteria, Xenodochia, aliaque pia loca, nisi specialiter exempta sint, ut constat ex toto tit. de religiosis domibus in 3. Decretal. Item res, & jura eorundem locorum: necnon beneficia omnia intra propriam Diæcesim existentia, quorum institutio, & destitutio, hoc est collatio, & privatio de jure communi ad Episcopum pertinet. exceptis iis, quæ Summo Pontifici reservata sunt, aut ex consuetudine,

C

vel

vel privilegio alteri inferiori Collatori, juxta textum *in c. nullus omnino u. 16. q. 7.* de qua retiam infra recurret sermo in hac prima partem Institutionum, ubi de Ecclesiasticis beneficiis tractabitur, & in secunda parte, ubi agetur de rebus Ecclesiasticis.

9. In his omnibus omnes Episcopi conveniunt quoad propriam Diæcesim. Illud tamen delictum est inter ipsos, quod simplices Episcopos eam totam jurisdictionem habeant limitata in finibus Diæcessis, extra quam jus dicentibus non paretur impunè, *ex c. 2. de constit. in 6.* A Archiepiscopi jurisdictione pluribus in casib[us] expressis in jure extenditur etiam extra propria Diæcessim, tūm super Episcopos suffraganeos, tūm super subditos Suffraganeorum suorum, tūm super res Suffraganeorum potestati subjectas.

10. Quod attinet ad Episcopos Suffraganeos potestatis est Archiepiscopal[is] ipsos cogere ad Provinciale Concilium quolibet saltem triennio, juxta præscriptum. *Trident. sess. 24. de re form. cap. 2.* eidemque præesse, ut colligitur ex *c. 1. dist. 34.* Item curare debet Archiepiscopus ut Suffraganei apud suas Ecclesias resideant, & super eorum absentiam inquirere, it aut si eos absque legitima causa non residere repererit, debeat applicare fructus fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, & crescente contumacia de-

nun-



nunciare Summo Pontifici, ut decernitur à Trident. sess. 23. de reform. cap. 1. & à Pio IV. in Constit. 10. quæ incipit. *De salute Gregis.* Præterea ad Archiepiscopum spectat curare, ut Suffraganei suo munere ritè fungantur; debitamque justitiam suis subditis administrent, de quibus juribus aliisque plurimis videri potest *Quaranta in summa Bullarii v. Archiepiscopi authoritas*, ubi plures casus enumerat, in quibus Archiepiscopi authoritas extenditur supra Suffraganeos.

ii. Unum inter reliqua notandum est, de jure recentiori aliqua esse derogata à potestate, quæ antiquitus Archiepiscopo competebat. Eius generis est potestas confirmandi Electum in Episcopum, de qua sermo est in c. *cum dilectus 12. de elect.* aliisque juribus. Ejusdem quoque generis est authoritas eligendi Episcopum pro casu, in quo ab inferioribus electoribus celebrata non fuisset electio intra tres menses justo impedimento cessante, quæ authoritas conce-debatur in c. *ne pro defectu 41. de elect.* & in c. *Quamquam 18. eod. in 6.* quamvis non ita semper in more fuerit, antiquiori siquidem tempore in prædicto negligentia casu potestas eligendi non devolvebatur ad Archiepiscopum, sed ad Papam, ut constat ex c. *dilectus filius 12. de concess. præben.* Nunc tamen universaliter neq; potestas confirmandi electum in Episcopum, neq;

potes^tas ipsum eligendi in ullo casu Archiepisco^po competit: nam provisio omnium Ecclesiarum Cathedralium de jure communi est Summo Pontifici reservata, ut videre est in Regulis Cancellariæ Apostolicæ; & etiam pro iis locis, in quibus adhuc servatur antiquus modus eligendi Episcopum per suffragia capitularium, ut in pluribus Germaniæ Civitatibus electio-
nis factæ confirmatio unicè spectat ad Sum-
mum Pontificem, ut patet ex Bulla 1. Nicolai
V. *ad Sacram*, in qua continentur concordata
Germaniæ.

12. Ejusdem demum generis, omissis reli-
quis, est potes^tas jurisdictionis Ordinariæ, quā
de jure antiquo habebat Archiepiscopus cog-
noscendi, & judicandi causas etiam criminales
Suffraganeorum suorum, exceptis quibusdam
causis reservatis, ut colligitur ex c. *quia cognoscimus* 6. 10. q. 3. at de jure recentiori statuto à
Trident. sess. 24. *De reform. cap. 5.* causæ majo-
res criminales contra Episcopum, quæ deposi-
tione aut privatione dignæ sint, ab ipso tantum
Summo Pontifice cognoscuntur, & terminan-
tur; causæ autem criminales minores in conci-
lio tantum Provinciali, vel à deputandis per
concilium Provinciale.

13. Quod attinet ad subditos Suffraganeo-
rum, quamvis non sint propriè subditi Archie-
piscopo, adhuc tamen in quibusdam articulis
potest

potest Archiepiscopus super ipsis jurisdictionem aliquam exercere, ut habetur in c. *Pastoralis* 11. de off. *Ordin.* Ejusmodi autem articuli ad quatuor potissimum capita reducuntur. Primum est in concernentibus totam Provinciam, ut ex pluribus juribus probat. *Quaranta in cit. summa Bullarii ver. J. 20. nu. 23.* Alterum est in casu appellationis, quam subditi Episcoporum interponere possunt ab Episcopis ad Archiepiscopos, ex c. *Romana* 3. de *appellation.* in 6. c. *duo simul 9. & c. Pastoralis 11. do off. Ordin.* exceptis quibusdam causis gravioribus, qualis est v. g. causa Sanctæ Fidei, in qua appellatur ad Papam, ut sumitur ex e. *majores* 3. de *Baptif.* ac decisum fuisse à Sacra Congregatione Cardinalem negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum die 23. Novemb. 1582. refert *Barb. Jur. Eccl. lib. 1. cap. 7. nu. 65.* Tertium est in casu visitationis, in quo potest exigere protractionem à subditis Suffraganeorum, ex c. *cum ex efficii 16. de præscrip.* eorumque confessiones audire, ex c. *fin. de censib.* in 6. non tamen dispensare juxta aliquos Authores, nec ordinare, aut concedere litteras dimissorias, nec exercere in subditos Episcoporum jurisdictionem fori contentiosi, præterquam in criminibus notoriis, & contra impedientes ejus jurisdictionem, ut tradit *Bdrb. in cit. cap. 7. n. 88. & seqq.* Ultimum est in casu vacantis Ecclesiæ suffraganeæ si quan-

do eadem administrari non possit, aut negligenter non administretur per Capitulum Cathedralis Ecclesiae, aut per ullum alium, de quibus aliisque plurib[us] videatur idem *Quaranta in summa cit. v. Archiepiscopi authoritas, & Barbos. in cit. cap. 7. lib. 1. Jur. Eccl.*

16. Quod pertinet ad res potestati Episcoporum subiectas, quales sunt Ecclesiæ &c. habet etiam nonnumquam Archiepiscopus aliquam jurisdictionem in ipsis, ut puta in praedicto casu vacantis Ecclesiæ legitimis administratoribus destitutæ; nec non in casu visitationis, quam tamen ab Archiepiscopo faciendam non esse, nisi causa cognita, & probata in concilio Provinciali, statutum est à *Trid. sess. 24. de refom. cap. 3.* Vide praedictos *Authores* in locis citatis, aliosque ab ipsis relatōs.

15. Ex hactenus dictis efficitur Archiepiscopos præminere simplicibus Episcopis etiam quoad signa honoris, & privilegia dignitatis, quod est tertiu ex iis, ad quæ supra diximus reduci quidquid Episcopis competit. Quæ autem sint in particulari talia honoris signa ac privilegia, videri potest fusè narratum apud cit. Barb. ibid n. 103. & seqq. aliosque ab ipso citatos.

16. Hactenus dicta de Archiepiscopis relate ad Episcopos Suffraganeos, intelligenda proportionaliter sunt etiam de Primatibus, seu Patriarchis relate ad Archiepiscopos, eorumque suffraga-

suffraganeos Provinciarum suarum : habent enim similem respectu omnium ipsorum jurisdictionem Ordinariam , unde præsunt illis omnibus in Nationali Concilio, eorundem negligentiā supplant, jus habent visitandi, appellatio-nes admittunt, & cognoscunt, quas subjectorum Archiepiscoporum , & Episcoporum subditi ab ipsis Archiepiscopis , & Episcopis interpone-re possunt ad ipsos. Quinimo hac in re multi Doctores asserunt, illud insuper privilegii com-petere Patriarchis, quod quamvis cæteroquin de jure communi appellatione non interponatur omisso medio, sed gradatim , hoc est ab Inferiori ad immediatum Superiorem, puta ab Archidiaceno, seu alio inferiori Judice ad Episco-pum, ab Episcopo ad Archiepiscopum &c. at-tamen appellatione ad Patriarcham interponi pos-fit, etiam omisso medio , in omnibus suarum Provinciarum locis , de qua re videri potest Abb. in c. antiqua 23. de privileg. n. 7. & 8. & Barb. Jur. Eccl. lib. 1. cap. 6. n 39. salvis tamen appella-tionibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum, ut dicitur in eod. c. antiqua , ubi etiam in signum dignitatis conceditur quatuor primariis Patri-archis, ut ubique antè se Crucem elatam facere possint deferri , præterquam in Urbe Romana, & ubicumq; Summus Pontifex præsens extite-rit, aut ejus Legatus utens insignibus Apostolicæ

potestatis. Reliqua videri possunt apud Barb. in cit. cap. 6.

17. Illud tamen notandum hic quoque est, quod paulo ante de Archiepiscoporum potestate notabamus, videlicet aliqua teperiri in antiquis canonibus Patriarcharum potestati concessa, quæ nunc ipsis prohibita sunt, & recentioribus juribus derogata. Ejus generis est confirmare electos in Archiepiscopos Provinciarum suarum, necnon ipsos eorumque Suffraganeos ex causa deponere, ut videre est in c. quod suspe*cti* 15. 3. q. 5. item Pallium largiri Archiepiscopis sibi subjectis, ex cit. c. antiqua 23. de privileg. Et c. quæ tamen nunc in usu non sunt: quia institutio, & confirmatio omnium Ecclesiarum Episcopalium est Summo Pontifici reservata per secundam regulam Cancellariæ; quemadmodum eidem reservata quoque est potestas deponendi Episcopos per statutum Trident. sess. 24. de reform. cap. 5. & Pallium Archiepiscopis à Summo tantum Pontifice conceditur, ut notat Azor. inst. mor. p. 2. lib. 3. cap. 34. q. 4. Reliqua de Patriarcharum dignitate, & privilegiis videri possunt apud cit. Barb. lib. 1. Jur. Ecc. cap. 6. Et apud. Azor. in cit. p. 2. lib. 3. cap. 35. Et 36.

18. In tanta tamen potestatis diversitate, quam supreditis Episcoporum gradibus competere visum est, illud omnibus, & singulis est commune, ut in Ecclesia sibi commissa eam pasto-

pastoralem sollicitudinem habeant, quæ decet positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, ex cap. 20. Actuū Apost. Ejusmodi autem sollicitudo ad duo potissimum generalia capita reduci potest. Primum est in iis, quæ pertinent ad Divinum cultum, Religionemque Christianam conservandam, & augendam. Alterum est in regendis, & pascendis Ovibus sibi commissis, & ad æternam salutem perducendis, Videri potest Barb. in cit. lib. 1. Jur. Eccl. cap. 11. ubi fuse numerat in particulari ea, in quibus hoc utrumque sollicitudinis pastoralis caput ab Episcopis exercendum est.

19. Quod si contingat Episcopum aliquem vel senectute impediri, vel infirmitate corporis valetudine ab executione prædicti muneris pastoralis, solet frequenter ex causa ejusmodi impedimenti dari Episcopo Coadjutor, per quem populo consulatur in iis quæ pertinent ad regimen Episcopale. Ejus tamen Coadjutoris institutio non potest fieri sine autoritate Sedis Apostolicæ, etiamsi ad tempus fiat, cum pertineat ad causas maiores Summo Pontifici reservatas, juxta textum expressum in c. Unico. de Clerico agrotante in 6. Quod multo magis locum habet si dandus sit Coadjutor cum futura successione, quod non alijs fieri decernituc à Trid. sess. 25. de refor. cap. 7. quam ea causa prius diligenter à Sanctissimo Rom. Pontifice sit cognita, & qua-



litates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à Jure, & decretis ejus Sanctæ Synodi in Episcopis, & Prælatis requiruntur; aliæ concesiones super his factæ subreptitiae esse censeantur. Quam autem potestatem, & autoritatem habeat Coadjutor datus Episcopo cum futura successione, videri potest in Decreto Sacræ Ritu-
um Congregationis die Jovis 31. Januar. 1561.
quod refert Prosp. de Augustino in addition. ad
Quaran. in Summa Bullarii V. Archiepiscopi
authoritas post num. 12.

20. Ut per prædictam pastoralem sollicitudinem omnibus populis, quantum fieri posset, consuleretur, cum cæteroquin Episcopalis Sedes nonnisi in majoribus Civitatibus esset, ex cap. 1.
de Privileg. ideo consuetudo fuit antiquitus in Ecclesia, ut in reliquis pagis, & Oppidis præficerentur Sacerdotes cum potestate quadam Episcopali, limitata tamen; unde nec confirmare poterant, nec Chrismata confidere, nec Ecclesiæ Altaria aut Virgines consecrare, nec Ordines majores conferre, nec pœnitentes publicè in Missa reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere, ut probat textus in cap. *Quamvis 4. dist. 68.* Cætera autem Episcopalia munia obire poterant, unde vocati fuerunt Chorpiscopi, appellatione desumpta à græca voce *κωρη*, quæ idem significat, quod latine Pagus, vel Oppidum, quasi essent quidam Pagorum Episco-

piscopi, cum ea potestate , de qua dictum est, constituti. Successu tamen temporis , ambitione crescente , cum non contenti finibus suis etiam ad ea Episcoporum Officia, quæ sibi concessa non erant , manus immitterent ; ideo meritò eorum usus ab Ecclesia sublatus est, ut constat ex c. Chor episcopi 5. dist. 68. aliterque consultum populis illis per Vicarios , aut Archipresbiteros , aliasve Dignitates Episcoporum potestati subordinatas.

T I T. IV.

De Episcoporum Electione.

1.] Ngressus ad Episcopale munus, de quo in præcedenti tit. dictum est , habetur per Electionem, Confirmationem, & Consecrationem, de quibus singulis multa in Sacris Canonibus statuta sunt.

2. Quod attinet ad electionem , diversimode ea diversis temporibus in Ecclesia celebrata fuit. Primi enim Episcopi , post Apostolos, immediate fuerunt ab ipsis Apostolis constituti, quibus vita functis, expresso vel tacito Romanorum Pontificum consensu, ad quos jus eligendi Episcopos pertinebat, exerceri cœpit elec^{tio à Clericis cujusque Ecclesiæ Cathedralis convenientibus in unum. Quia etiam in re non} semper idem mos servatus fuit. Aliquando

C 6

enim

enim pro electione à ciericis facienda requisitum fuit populi testimonium de vita, & moribus eligandi, unde est illud Tertulliani in *Apolog.* c. 39. *Prasunt probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Aliquando electio pertinuit ad solum clericorum convenutum, laicis prorsus exclusis, ex c. Nullus i. c. *Adrianus* 2. c. *Non est permittendum 6. aliisque dist. 63.*

3. Ad extremum tota eligendi potestas devoluta fuit ad collegium canonicorum cathedralis Ecclesiæ, exclusis reliquis non solum laicis, sed etiam clericis quamvis Beneficiariis ejusdem Ecclesiæ, isque modus eligendi diu duravit in Germania, Anglia, Polonia, Italia, Gallia, & Hispania, donec Summi Pontifices justis de causis reservaverunt sibi provisiores omnium Ecclesiarum Patriarchalium, & Episcopaliū, ut supra dictum est ex 2. Reg. *Cancellar.* relictō tantum ex concessione Pontificia pluribus Principibus jure seu potestate nominandi Episcopos in suis regnis: exceptis tamen iis Germaniæ civitatibus, pro quibus vident concordata Germaniæ statuta in Bulla i. Nicolai V. *Ad Sacram*, quorum vigore adhuc servatur ibidem modus eligendi Episcopum per suffragia canonicorum capitularium, circa quem modum procedunt plerique canones, qui sunt in libris *Decretal.* sub tit. *De electione.*

4. Ubi



4. Ubi igitur servandus sit ille modus eligendi , ex eorundem sacrorum canonum præscripto , canonici electores procedere possunt ac debent in electione Episcopi , vel per inspirationem , vel per compromissum , vel per scrutinium , ex c. *Quia propter 42. de elect.* Per inspirationem dicitur electio fieri , quando nullo præcedente tractatu , quasi Spiritus Sancti impulsu electores omnes in unum conveniunt , eundemque concorditer nominant in sponsum Ecclesiaz. Per compromissum celebratur electio , quando à toto electorum collegio eligitur unus , aut plures viri idonei tamquam arbitri , in quos tota eligendi potestas transferatur , ita ut quem illi elegerint sic ab omnibus acceptandus , ex c. *Causam 8 & cit. cap. Quia propter 42. de elect.*

5. Per scrutinium quoque fit , cum præsentibus omnibus , qui debent , & volunt , & possunt commodè interesse , assumuntur tres de collegio fide digni , qui secretè , & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant , & in scriptis redacta mox publicent in communi : quo facto , & collatione habita ille censeri debet electus , in quem omnes , vel major , & senior pars electorum consentit , ex eod. c. *Quia propter* : consensus enim majoris , & senioris partis capituli censetur consensus totius capituli , ex cap. 1. de his quæ fiunt à majori parte Ca-

pituli , & l. quod major 19. ff. ad Municipal.

6. Quod si contingat aliquem illorum , qui
jus eligendi habent , absentem esse , is vocan-
dus est , si commodè possit , ex c. in Genesi 55.
aliisque de elect. Quod si ea vocatio sine legiti-
ma causa omissa fuerit , & electio celebretur a-
liquo electore contempto , poterit ille agere ut
annuletur talis electio à Superiore , ad quem
ejus confirmatio pertineret , ut expresse desu-
mitur , ex cap. Quod sicut 28. de elect. & cap. Bo-
nae memorie 36. eod. Debet enim unicuique jus
suum servari ad regulas æquitatis , cui mirum
in modum Ecclesiasticæ leges studuerunt. Po-
test tamen elector ille non vocatus renunciare
contemptui , & propter bonum pacis consen-
tire electioni jam factæ ; in quo casu electio à
Superiore nullanda non erit , si cæteroquin
sit Ecclesiæ utilis , & canonica , ex cit. c. Quod
sicut.

7. Huic eidem singulorum juri servando ,
quantum Ecclesiæ utilitas patitur , datum est ,
ut si quando elector aliquis absens sit in loco ,
unde commodè possit debeatque vocari , sed ju-
sto aliquo impedimento detineatur ne venire
possit ; jus habeat constituendi Procuratorem ,
qui ejus nomine suffragium dicit in scrutinio , ita
tamen ut (saltē sine consensu Capitularium)
in Procuratorem non assumatur nisi unus ali-
quis



quis de Capitulo , juxta textrum expressum in cit. cap. Quia propter 42. de elect. & c. Si quis 46. eod. in 6. In quo casu Procurator ille duo suffragia dabit , unum nomine proprio, alterum nomine procuratorio , uni eidemque personæ , ut præcipitur in eod. c. Si quis , quia utroque nomine tenetur eligere quam indicat dignorem : nisi tamen constitutus sit Procurator cum speciali mandato dandi suffragium certæ personæ ; tunc enim suffragia licet dividet , unum tamquam Procurator illi certæ personæ pro qua habuit speciale mandatum , alterum alteri nomine suo , ex eod. c. Si quis §. Porro cum unus .

8. Circa qualitatem personæ eligendæ , illud specialiter attendendum est , ne aliqua eligatur , quæ laboret impedimentoo Canonico. Duplicis autem generis numerantur ejusmodi impedimenta. Aliqua enim sunt in quibus , nec solet , nec debet dispensari , quia impediunt utilem , & honestam administrationem Prælaturæ , qualia sunt imperitia litterarum , infamia nominis , aliaque multa quæ recensentur in cap. Qui in aliquo ult. dist. 51. Alia autem sunt , quæ eandem administrationem non impediunt , unde potest in illis , ac solet à Superiore dispensari , ut v. g. defectus natalium cap. Innocuit 20. de elect. vinculum aherius Episcopatus , c. ult. de postul. Pralat. aliaque plura , quæ videri possunt apud Joan. Andr. in eod. c. ult.

9. La-

9. Laborans aliquo primi generis impedimento nullatenus nominari potest ad Prælaturam : laborans autem impedimento secundi generis, eligi non potest, sed postulari, hoc est non potest ab electoribus nominari cum verbo *Eligo*, sed solum cum verbo *Postulo*, ex cap. unico de postulat. Prælat. in 6. Debet enim à Superiori peti dispensatio pro impedimento canonico, quo laborat persona nominata, quæ petitio dispensationis indicatur per verbum *Postulo*.

10. Quemadmodum autem cum per viam electionis proceditur, ille censetur legitimè electus, in quem omnes, vel saltem major & senior pars electorum consenserit ; ita pariter cum proceditur per viam postulationis, ille censetur legitimè postulatus in quem major & senior pars totius capituli convenerit : nisi tamen electio cum postulatione concurrat, hoc est ita ut una pars suffragiorum capituli postulet unam personam, & alia pars eligat aliam: in quo casu ut prævaleat postulatio postulatio requiritur ut postulantes sint tantum duæ tertiaræ partes capituli, sicut contingeret v. g. si ex 15. Canonicis 10. postularent unam personam, & 5. eligerent aliam. Si enim postulantes talem numerum non adequentur, & eligentes excedant unam tertiam partem capituli, præfertur electio, ut decernitur in scriptum 40. de Elect. qui casus est specia-

specialis, in quo præfertur id quod sit à minori parte capituli, cum in cæteris communiter actus capitularis non valeat', 'nisi qui à majori capituli parte decretus est. Cujus ratio esse potest: quia postulatio est modus providendi extraordinarius qui nititur gratia ex c. Bonæ memoriae 3. & c. Postulationem 5. de postulat. Prælat. Electio autem est modus providendi ordinarius, & magis in Jure fundatus: minus igitur requiritur, ut electio prævaleat contra postulationem, quam ut una electio prævaleat contra aliam electionem: atqui ut una electio prævaleat contra aliam electionem requiritur, & sufficit ut illi consentiat major pars capituli: ergo ut electio prævaleat contra postulationem sufficit minus quam major pars capituli, & ideo statutum fuit ut in tali casu sufficiat elegentes excedere unam tertiam partem capituli,

ii. Electio, de qua hactenus dictum est, consistens in suffragiis expressis per verbum *Eligo*, est electio lato modo sumpta. Cæterum electio propria, & Capitulaeis habetur per decre-
tum electionis, quod ab eo qui præest capitulo, vel qui fuerit ad hoc à capitulo deputatus, ferri debet, & promulgari nomine omnium Capitularium statim ac publicata fuerint suf-
fragia scrutinii, factaque illorum collatione repertum pro una, eademque persona suffici-
entem suffragiorum numerum convenire, ut desumitur ex c. cum post petitam 46. & c. Publi-
cate

cato 58.de elect. Quod idem pariter servandum est,cum processum est per formam compromis- si , juxta textum expressum in cap. sicut 21. eod. in 6.

12. Hactenus dicta , quemadmodum & di- cenda , procedunt circa electionem Prælato- rum inferiorum : non enim omnia locum ha- bent in electione Summi Pontificis, pro qua ali- qua specialia statuta sunt, quæ videri possunt in c. *Licet 6. de elect. c. ubi periculum 3. eod. in 6. aliis que constitutionibus relatis in Cærimonie di con- tinente ritus electionis Romani Pontificis edito jus- su Gregorii Papæ XV. ac præsertim in duplice con- stit. ejusdem Gregor. XV. quarum una incipit* *Æterni Patris, & altera Decet Romanum Ponti- ficem.*

T I T. V.

De Episcoporum Confirmatione, & Consecratione.

1. Electionem capitulariter factam sequitur Confirmation , quæ à Superiore petenda est, hoc est de Jure recentiori à Summo Ponti- fice , cui quemadmodum in reliquis regionibus reservata est omnium Ecclesiarum Cathedra- lium provisio ; ita & pro iis locis ubi adhuc elec- tio fit per suffragia Capitularium , reservata est confirmatio factæ electionis, ut supra dictum est in tit. 3 n. 11.

2. Ea



2. Ea confirmatio de jure antiquiori statuto in c. Quam fit 6. de elect. in 6. intra tres menses à die qua electus consensit electioni suæ , si nullum impedimentum obfisteret , peti debebat vel ab ipso electo , vel saltem ab electoribus , aut à Procuratore electi , ut explicat Gloss. in cit. cap. quam fit , v. petore , ubi etiam afferit sat tis fuisse , si amicus electi , quamvis fine ejus mandato , ejus nomine peteret , & electus ipse eam petitionem ratam haberet intra tempus illorum trium mensium , quia ratificationem retrotrahi , & mandato non est dubium comparari cap. 10. de reg. Jur. in 6. Quod si nihil horum intra tale tempus factum esset , electio penitus irritabatur. At de Jure recentiori , cum aliquorum locorum vicinitas minus temporis exigat , & aliorum distantia plus exposcat ; decretum fuit à Nicolao III. in c. Cupientes 16. de elect. in 6. ut electus , cuius confirmatio ad Romanum Pontificem pertinet , intra unum mensem à die consensus præstigi suæ electioni , ad Apostolicam Sedem iter arripiat , & quo citius commode potest , attenta locorum distantia , cum omnibus actis , juribus , & munimentis suis & processus suos contingentibus , coram Rom. Pontifice se sistat confirmationem petiturus. Qui tamen immediate à Summo Pontifice in Episcopos sunt creati absque ulla prævia Capituli electione , aut designatione &c. nulla alia confirmatione

tione opus habent , quia ea Episcopatus collatio vim habet electionis , institutionis , & confirmationis . ut post Panor. notat *Azor. instit. mor. part. 2. lib. 3. cap. 29. q. 6.*

3. Impetratae confirmationis effectus est , ut electus acquirat jus in re , & perfectum quasi dominium in Prælatura , fiatque ratum spirituale conjugium inter ipsum , & Ecclesiam , quod prius per electionem erat tantummodo initiatum , ut dicitur in *c. fin. de translatione Episcopi*. Sine litteris tamen Sedis Apostolicæ de sua promotione , & confirmatione testantibus ad suam Ecclesiam accedere prohibetur , bonorumque Ecclesiasticorum administracionem accipere , sub gravibus poenit expressis in *extrav. i. de elect. inter commun.* adjecta insuper omnibus prohibitione , ne ipsum absque talium litterarum ostensione recipient , aut ei pareant vel intendant.

4. Sed neque acceptis ejusmodi litteris , & ostensis potest eo ipso quidquid est potestatis Episcopalis ab electo , & confirmato administrari : non enim potest ante consecrationem exercere ea quæ sunt Ordinis , puta fideles confirmare , clericos ordinare , sacrum chrisma confidere , virgines , templa , altaria , vestes consecrare ; sed solum ea quæ sunt Jurisdictionis , qualia sunt excommunicare , suspendere , interdicere , corrigere , punire , visitare , Synodum

dum congregare , beneficia conferre , causas audire , & cognoscere , leges ferre , aliaque similia , quæ consecrationis ministerium non desiderant , juxta textum in c. Transmissam 15. de elect.

5. Ut igitur quis pleno jure suscepti Episcopatus fruatur , consecratur necesse est , per quod consumatur spirituale conjugium inter ipsum , & Ecclesiam , quod prius per electionem , & confirmationem erat tantummodo initiatum & ratum , excit. c. fin. de translat. Episc. Debet autem ea consecratio fieri intra tres mensēs , nisi fortè inexcusabilis necessitas coegerit Ordinationis tempus amplius prorogari , ut ex Conc. Calcedon. decernitur in c. Quoniam 2. dist. 75. & recentius à Trid. sess. 23. de refor. cap. 2. ubi insuper in pœnam adjicitur , ut si electus , & confirmatus munus consecrationis intra illud tempus non susceperit ; ad fructuum perceptorum restitutionem teneatur , & si intra totidem menses postea id facere neglexerit , sit ipso jure privatus Ecclesia , quod statutum ibidem extenditur etiam ad S. R. E. Cardinales.

6. Huic consecrationi tres Episcopi interesse debent de Jure ab Apostolis constituto ex cap. Porro 2. dist. 66. ubi Anacletus Papa asserit Jacobum Apostolum fuisse ordinatum in Hierosolymitanum Antistitem à Petro , Jacobo , & Joanne Apostolis formam dantibus successoribus

lais,

suis, ut minus quam à tribus Episcopis nullatus Episcopus ordinetur. Ex Apostolica quoque traditione dimanavit, quod ea consecratio non nisi die Dominico perficiatur, ut testatur S. Leo Papa i. in cap. *Quod die Dominicos*. dist. 75. Tribus igitur Episcopis die Dominico congregatis, hora tertia Divinum Sacrificium fieri debet, & scrutinio seu examine præmisso, prout præscribitur in cap. *Qui Episcopus* 3. dist. 23. celebrari preces, ex cap. *Ordinationes Episcoporum* 1. dist. 75. Inde ad ordinationem proceditur, in qua debent duo Episcopi manus imponere, & tenere Evangeliorum codicem super caput, & verticem Ordinandi, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangere, ex cap. *Episcopus* 8. dist. 23. proferendo illa verba: *Accipe Spiritum sanctum, &c.*

7. Debet etiam Consecrator caput, & manus ordinati sacro chrismate inungere, ut per unctionem in capite indicetur spiritualis animæ unctionis balsamo charitatis, per quam Episcopus diligat Deum ex tota anima, & proximum sicut se ipsum; per unctionem autem in manibus spiritualis unctionis oleo pietatis, per quam Episcopus operetur bonum ad omnes, maximè ante ad domesticos fidei, ex c. unico de sacr. unctione, ubi etiam forma narratur à consecrator.



Tit. V. de Episc. confir. & consecr. 71

tore inungente proferenda. His peractis Episcopus consecratus Rom. Ecclesiæ, ejusque Pontificibus fidelitatis juramentum præstare debet, juxta formulam præscriptam in c. Ego 4. de Ju-
rejur.

8. Effectus peractæ consecrationis, ex supra-
dictis, est quod Episcopus possit in posterum
non solum ea, quæ sunt Jurisdictionis sed & ea,
quæ sunt Ordinis. Si quæ autem inferiora be-
neficia antecedenter habebat, elapsò tempore
de consecrandis Episcopis à sacris Cænonibus
definito, & adepta Ecclesiasticorum bonorum
administratione, ipso jure vacant, ex c. Cum
in cunctis 7. §. Cum vero de elect.

T I T. VI.

De Authoritate, & usu Pallii.

1. QUod tamen dictum est, per consecratio-
nem concedi Episcopo potestatem ad o-
mnia suæ Dignitatis officia, limitationem pa-
titur in Archiepiscopis, & Patriarchis, in qui-
bus illud est peculiare ut plenitudinem Officii
sui non assequatur, nisi Pallium receperint à
Summo Pontifice ex c. nisi specialis 3. de author.
& usu Pallii, unde eo nondum accepto, non
possunt convocare Concilium, conferre Chris-
ma, dedicare Basilicas, Ordinare Clericos, E-
piscopos consecrare; ex c. Quod sicut 28. §. super
eo de elect. & juxta doctrinam Ostiensis in
Sum-

*Summa de author. & usu Pallii omnia reliqua,
quæ sine Sacrificio Missæ non perficiuntur.*

2. Est autem Pallium insigne quoddam Archiepiscopi , vel Primatis ornamentum , de Beati Petri corpore sumptu[m] , ex c. significasti 4. circa finem de elect. vel quia super altare B. Petri benedicitur, vel quia à Rom. Sede conferatur , figuratum ad modum torquis , crucibus que distinctum , per quod significatur Pontificalis officii plenitudo , cit. c. nisi 3. de author. & usu Pallii.

3. Debet igitur illud petere Archiepiscopus , & Primas (quibus solis de Jure communi tribuitur , quamvis etiam ex privilegio quibusdam Episcopis concedatur) à Romano Pontifice , qui de prisca consuetudine illud nisi fortius postulanti non confert , c. Prisca 2. dist. 100. Et ut in hac re nimiæ dilationis periculum caveatur , ex qua damnum aliquod in Ecclesiam redundaret , per sacros Canones statutum est ut petere illud debeat intra tres menses à die consecrationis , si non fuerat antecedenter consecratus , aut à die confirmationis si fuerat ante consecratus , alioquin in poenam commissa sibi dignitate cariturus ex c. Quoniam 1. dist. 100. Impetratum autem suis petitionibus Pallium antequam accipiat , præstet necesse est Rom. Pontifici fidelitatis , & obedientiæ juramentum , si dei-

deique professionem , c. Optatum 4. dist. 100. &
c. Significasti 4. de elect.

4. Cum autem significetur per Pallium Pontificalis officii potestas , & plenitudo (ut dictum est) , quæ Archiepiscopis , & Primitibus non communicatur personaliter , & in ordine ad certam Ecclesiam ; inde fit concßssionem Pallii esse personalem , & in ordine ad eandem Ecclesiam : quare unus Archiepiscopus ^{non} potest Pallium suum alteri cedere , aut commodare , nec Successor uti potest Pallio sui Antecessoris , sed unusquisque cum suo Pallio sepeliendus est , ex c. 2. de Author. & usu Pallii, Item ex eadem ratione non potest uti Pallio , etiam inter Missarum solemnia , extra provinciam suam , c. Ex tuarum 5. eod. Et si contingat Archiepiscopum ab una Ecclesia Metropolitana ad aliam transferri , Pallio prioris Ecclesiae , (quod penes se conservare debet) amplius non utetur ; sed aliud imperrabit , ac postea suo tempore cum utroque defunctus sepelietur , ut colligitur ex c. bona memoria 4. in fine de postulaz. Prælat. & ex c. 2. de author. & usu Pallii.

5. Præterea quia Archiepiscopi , & Primates vocati sunt in partem sollicitudinis , non in plenitudinem potestatis , c. Ad honorem 4. de author. & usu Pallii; ideo etiam in provincia sua nec semper nec ubique uti possunt Pallio , sed tantummodo intra Ecclesiam , certis quibus-

D

dam

dam diebus solemnibus, ut desumitur ex c. cum
sis 6. & cit. c. *Ad honorem* 4. eod. juncta ibidem
Glossa, ubi eos dies enumerat. Solus enim Rom.
Pontifex cum sit assumptus in plenitudinem
Ecclesiasticæ potestatis, in Missarum solemnibus
Pallio semper utitur, & ubique ex eod. c. *Ad
honorem*.

T I T. VII.

*De Officio Archidiaconi, Archipresbyteri, &
Vicarii Episcopi.*

1. A Mplitudo muneris Episcopalis, cui ad-
quare per se ipsos obeundo ipsi Episcopi
pares esse non possunt, exigit adjutores aliquos,
qui sollicitudinis partem in se suscipiant, vica-
riamque Episcopis operam administrent. Pro-
pterea in Jure Canonico plures ejusmodi Adju-
tores concessi sunt, qui generali vocabulo appel-
lari possunt Episcoporum Vicarii, de quibus in
hoc titulo sermo erit.

2. Multiplex igitur est in ecclesia Viciorum
Episcopaliū genus. Aliqui enim sunt Vicarii
ab ipso Jure constituti, quia scilicet dignitatē
habent, cui de Jure communi annexum est mu-
nus Vicariæ, unde per hoc ipsum quod eam di-
gnitatē obtineant, ejusdem quoque munera
potestatem sortiuntur, quamvis communiter
non nomine Vicarii, sed ejus dignitatis, quam
habent, appellantur. Hujus generis Archidiaco-
nus,



nus, & Archipresbyter. Alii sunt Vicarii constituti ab homine, qui videlicet munus habent Vicariatus non in consequentiam alicius dignitatis quam habeant, cui de Jure communi munus illud annexum sit; sed immediatè & directè ex speciali commissione facta ab homine, nempe ab Episcopo: atque isti sunt, qui simpliciter, & sine addito appellari solent Vicarii, & aliquando etiam dicuntur Officiales Episcoporum c.2. de consuet. in 6.

3. Inter utrumque hoc Vicariorum, genus illud inter reliqua discrimen est quod constituti à Jure deserviunt ecclesiæ nomine proprio, habentque tribunal distinctum à tribunali Episcopi, unde ab ipsis ad Episcopum appellari potest. Secus accedit in iis, qui sunt ab homine constituti Vicarii generales, qui ecclesiæ serviunt alieno nomine, Episcopi videlicet, à quo Vicarii facti sunt, eorumque tribunal est idem ac tribunal Episcopi; ac propterea ab ipsis ad Episcopum non appellatur, quia appellatio non nisi ad tribunal distinctum interponitur, c.2. de consuet. in 6.

4. Inter Vicarios à Jure constitutos, primus dignitate de Jure communi est Archidiaconus, cuius institutio à primis usque ecclesiæ temporibus nata est. Tempore enim Apostolorum constituti sunt Hierosolymis septē Diaconi ipsis Apostolis subordinati, quorum cura esset elemosynas fidelibus distribuere, aliaq; præstare,

quæ recensentur in libro Actuum Apostolorum : illorum autem primus , qui reliquis antiquitate præiret , vocari cœpit Archidiaconus . Ad hujus similitudinem in reliquis quoque urbibus statutus postea fuit totidem Diaconorum numerus subordinatus Episcopis , & Archidiacono eorum primo fuit specialiter cura commissa invigilandi , ut reliqui Diaconi rite quæ sui muneric erant exequerentur . Progressu tamen temporis ejus potestas longè major effecta est , cum ei attributa fuerit generalis authoritas tum supra inferiores clericos , tum etiam supra Presbyteros , atque Archipresbyteros , quamvis eisdem inferior sit in Ordine , unde major post Episcopum , & ipsius Episcopi Vicarius haberi cœpit , & Episcopi oculus appellari , eo quod ad ipsum spectare cœperit loco Episcopi per Episcopatum prospicere , & quæ corrigenda viderit emendare c. ad hæc 7. aliisque de off Archid.

5. Quod autem hæc tanta potestas , & iuridictio potius Archidiacono concessa fuerit quam Archipresbytero in superiori Ordine constituto , inde ortum habuit , quod presbyteri per Sacmentorum administrationem pa scendis populis essent destinati , à qua cura sine populorum detimento removeri non poterant , quare congruentius fuit , ut Archidiaco-

no ab ea obligatione soluto generalis illa jurisdictio mandaretur.

6. Quod attinet ad particularia , ad quæ de Jure communi Archidiaconi jurisdictio exten- titur , videri possunt distinctè numerata in to- to tit. de off. Archid.. in Decretalibus , vel inter cætera ejus curæ committitur præesse clero , & invigilare ejus conversationi , executioni of- ficiarum , atque doctrinæ c. 1. Paræciarum sol-licitudinem habere easque ordinare , c. 7. audi- re jurgia singulorum exceptis causis graviori- bus , quæ ab Episcopo cognosci debent , eod.c.7. de tertio in tertium annum , si Episcopus non potest , imo & semel in anno , eoque frequen- tius , sed necessitas exigat , Ecclesiæ sui Archi- diaconatus visitare , & cuncta , quæ emendatio- ne indigent ad vicem sibi Episci corrigere , & emendare , c. 1. & 6. repræsentare Ordinandos Episcopo , eosque examinare necnon promo- vendos ad Beneficia , quorum etiam corporalis institutio ad Archidiaconum pertinet , c. 7. & 9. item custodire vasa Ecclesiæ c. 3. ea demum quæ ad publicam Evangelii lectionem , totius- que Ecclesiastici Officii recitationem pertinent , providere , c.2.

7. Sed & ibidem numerantur etiam aliqua , quæ à potestate Archidiaconi sunt excepta ei- demque prohibita. Hujus generis sunt , dare litteras commendatitias ad Ordines , c. 8. com-

mittere alicui curam animarum , c. 4. excommunicare , c. 5. jurisdictionem exercere in monasteria intra sui Archidiaconatus terminos constituta , c. fin. negotia demum expedire a deo ardua , ut absque majoris sui præsentia ne queant terminari , c. 7.

8. Hactenus dicta de Archidiaconi potestate procedunt de Jure communi , ut indicatum est . Cæterum pro particularibus ecclesiis consulenda est præscripta singularum consuetudo , per quam augeri potest , vel imminui , vel etiam prorsus auferri jurisdictionis potestas , ut colligitur ex c. fin. eod. tit. de off. Archid. Quodidem intelligendum quoque est de officio , & potestate Archipresbyteri , ad cuius considerationem tunc est procedendum .

9. Alter igitur Episcopi Vicarius à Jure constitutus est Archipresbyter , quo nomine venit primus inter Presbyteros , nonnumquam etiam Decanus appellatus , c. ad hanc 7. de of. Archidiac. Sicut enim Archidiacono de Jure communi commissa est jurisdictione in iis , quæ pertinent ad forum externum , ut explicatum est ; ita Archipresbytero de Jure communi concessa est cura pro iis quæ concernunt Divinorum celebrationem , officium sacerdotale , actorum pœnitentiale .

10. Est autem duplex Archipresbyter : alter Urbanus ; alter foraneus sive ruralis . Urbanus



nus est , qui in urbe degens præest in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, ruralis seu foraneus, qui extra civitatem præest in Ecclesia parochiali , seu plebania.

11. De officio Archipresbyteri urbani sermo est in c. *Officium*. & in c. *Ministerium* 2. de Offic. *Archipresb.* ubi in eo constituitur ut diligentia cura provideat vitam Sacerdotum , & Ministerium in communicatione corporis, & sanguinis Christi Domini curet ut in sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit , quibus etiam provideat , & providendo præcipiat sacerdotibus, ne forte sine confessione, vel confirmatione corporis & sanguinis Christi Domini moriantur; confessiones peccatorum excipiat (quamvis nunc ad hunc finem sit institutus in Cathedralibus proprius pœnitentiarius ex decreto Trid. sess. 24. de refor. c. 8.) item Baptismum ritè conferri curet , aliaque præstet, quæ in civitis capitibus recensentur. Absente autem Episcopo , ad ipsum spectat ejus vice officium inchoare , benedictiones presbyterales dare in Ecclesia, Fontes benedicere , cuncta demū providere , quæ sacerdotum ministerio perfici debent, exceptis his quæ ipsi prohibita sunt , seu reservata' potestati Epicopali.

12. De Officio Archipresbyteri ruralis agitur in cap. u. h. de Off. *Archipresb.* ubi præcipitur, ut non solū imperiti vulgi sollicitudinē gerat ,

D 4

sed

sed etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiat, & qua unusquisque industria Divinum Opus exerceat, Episcopo suo renunciet, ad quem etiam cuncta referre debet, nec aliquid contra ejus decretum ordinare.

13. De jure autem recentiori statuto à Trid. sess. 5. de refor. cap. 2. Omnes Archipresbyteri, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias, quocumque modo obtinent, tenentur per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltē Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate perficere salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Adjecta transgressoribus gravi pœna per Episcopum imponenda.

14. Alterum Vicariorum genus, ut indicatum est ab initio hujus tituli, est quod complectitur ab homine constitutos, qui simpliciter, & sine addito appellari solent Vicarii, ac de ipsis sermo est in toto tit. de Offic. Vicarii, qui reperitur in Decretalibus Gregorii, in Sexto, & Clementinis; ac præsertim de illis, qui consti-

tuti



tuti sunt cum generali administratione quoad spiritualia simul , & temporalia pro tota diœcesi , qui vocari solent Vicarii generales ; ad discrimen illorum, quibus demandata tantum est administratio quoad spiritualia , qui appellantur Vicarii in spiritualibus ; & ad discrimen aliorum , quibus quoad sola temporalia potestas commissa est , qui communiter appellari solent non Vicarii, sed OEconomi. Dixi qui constituti sunt cum ea potestate pro tota diœcesi : qui enim cum ea potestate constituitur pro aliqua tantum parte diœcesis , non appellatur in Jure Vicarius generalis , sed foraneus.

15. Officium igitur Vicarii generalis extendit ad omnes causas Episcopali jurisdictioni subjectas , exceptis iis quæ speciale mandatum requirunt, aut quæ vel ex jure scripto , vel ex recepta consuetudine cognoscendæ sunt immediate ab Episcopo , c. *Licet 2. de off. Vicarii in 6.* sub quo genere excepto numerantur causæ criminales , potestas deponendi à Beneficiis, Officiis, Administrationibus , facultas visitandi diœcesim , Synodum congregandi , dandi litteras dimissorias Clericis præsente Episcopo , dispensandi in casibus , in quibus Episcopus potest , conferendi Beneficia , aut admittendi rensignationes Beneficiorum & juxta aliquorum sententiam causas matrimoniales cognoscendi: circa quæ aliaque plura sine speciali mandato

Vicariis prohibita, videri potest Rebuff. in pra-
xi benefic. tit. de Vicar. Episc. Azor. p. 2. lib. 3. c. 43.
cum tribus seqq. Barb. de off. Episc. p. 3. alleg. 54. &
liique ab ipsis citati.

16. Forma instituendi Vicarium refertur à
Rebuff. in cit. tit. de Vicar. Episc. tum ea per quam
committitur generalis potestas; tum etiam ea
per quam insuper aliqua specialia particulare
mandatum requirentia demandantur, quæ ut
in effectu sint concessa, debent specialiter expri-
mi, ita ut non sufficiat generalis clausula, per
quam dicantur communicari etiam ea, quæ re-
quirunt speciale mandatum, nihil tamen in
particulari exprimendo, ut docet Glos. c. 2. de off.
Vicar. in 6. v. committantur, arg. c. Qui ad agen-
dum 4. de Procurat. in 6. ubi Procurator gene-
raliter constitutus ad omnia etiamsi mandatum
exigant speciale, ex vi generalitatis hujusmodi
non admittitur ad aliquem articulum, in quo
speciale mandatum exigatur. Quod si aliquis,
vel aliqui de articulis speciale mandatum exi-
gentibus exprimantur, adjecta clausula generali
etiam de aliis speciale commissionem postu-
lantibus; tunc vigore talis commissionis poterit
etiam alia, quæ vel minora, vel æqualia sint ex-
pressis, non autem quæ majora, ut docet cit.
Glos. in c. 2. de of. Vicar. in 6. v. committatur juncta
ibid. Glos. marginali. Vox enim *alius*, vel *alia*
non comprehendit majora expressis, sed so-
lum



Iam, vel æqualia, vel minora, ex Clem. 2. de Proc. &c. Sedes 15. de rescript. nisi tamen aliud constet de mente committentis, ut notat Layman in cit. c. Sedes n. 4.

17. In constituendo autem Vicario illud specialiter attendendum est ab Episcopo, ut idoneum eligat, & requisitis à Jure qualitatibus exornatum. In particulari, hominem eligat necesse est maturæ ætatis, nempe 25. annorum, ut colligitur ex c. Cum in cunctis 7. §. Inferiora de elect. forensium rerum causarumque peritum, & saltem in Jure Canonico Doctorem, vel Licentiatum, ex Trid. sess. 24. de refor. c. 16. item Clericum non conjugatum, ex c. In nona 22. 16. quæst. 7. c. 2. de judiciis, & c. 21. de clericis conjug. de rum probatis moribus, qualem esse decet, qui vices Episcopi tenet in administracione ecclesiasticæ jurisdictionis.

18. Vicarius est pro libito Episcopo revocabilis, ex Glos. in Clem. 2. de resp. v. per electionem. Debet tamen revocatione denunciari Vicario: si enim illam ignoret, ejus gesta sunt valida, ut cum communī sententia docet Azor. part. 2. lib. 3. cap. 45. q. 14. Nam universim non cessat jurisdictione Judicis, donec certior de revocatione reddatur ex l. Si forte 17. ff. de off. Praesidis.

19. Sed & revocatur ipso Jure Vicarius per mortem, sive naturalem, sive civilem Episcopi,

ficut & per ipsius Episcopi translationem ad aliam Ecclesiam, ita ut nec perficere possit causas, quas ante eam mortem, vel translationem incepit, ut post Ostiens. notat Gloss. fin. in Clem. ult. de Procurator. in eoque differt Vicarius à Judice delegato, cum potestas delegati per mortem delegantis re non integra non expitet, cap. Relatum 19. & cap. Gratum 20. de Offic. Deleg. Ratio disparitatis est: quia potestas, & tribunal Vicarii est idem, ac tribunal Episcopi, unde (ut supra dictum est num. 3.) ab uno ad alterum appellari non potest: impossibile igitur est, cessante potestate Episcopi, perseverare Vicarii potestatem. At potestas, & tribunal Delegati est distinctum à Tribunalis Delegantibus, unde ab uno ad alium appellatio admittitur, ut interius explicabitur in tit. De appellationibus. Ex eadem quoque ratione descendit, Episcopo excommunicato, interdicto, vel suspenso, suspensam etiam esse Vicarii jurisdictionem.

20. Cum autem vacante Sede Episcopali jurisdictionio devolvatur ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, ex c. Si Episcopus 3. & c. ult. de supplenda neglig. Prælator. in 6. inde fit, post Episcopi mortem ad idem Capitulum pertinere constituere Vicarium iis qualitatibus præditum, de quibus supra dictum est nu. 17. aut constitutum ab Episcopo confirmare, quod ut fiat intra 8. dies post mortem Episcopi, statutum est à Trid.

sciss.



sess. 24. Derefor. c. 16. Vicarius ita constitutus vocari solet Vicarius Capitularis, cuius officium tamdiu durat, quamdiu provisum non fuerit Ecclesiæ per alium Sponsum, quo electo, & confirmato possessionemque Episcopatus accipiente, cessat ipso jure ejus potestas. Debet tamen Episcopus ab eodem Vicario capitulari, sicut & ab aliis Officialibus vacantis Ecclesiæ (etiamsi fuerint ex eodem capitulo) rationem administracionis, & officiorum exigere, eosque punire poterit si in Officio, seu administratione deliquerint, quamvis redditis rationibus, à Capitulo vel à Deputatis ab eodem, absolutionem, aut liberationem obtinuerint, ut expresse statutum est à Trid. in cit. c. 16. *Derefor. sess. 24.*

T I T. VIII.

De Presbiteris.

1. **Q**uemadmodum Christus Dominus præter Apostolos sub Petro ipsorum Principe alios septuaginta duos Discipulos elegit qui infra Apostolos Ecclesiæ inservirent; ita & nunc in Ecclesia præter Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, sub Romano Pontifice Petri successore, sunt alii Ministri in locum Discipulorum suffici, qui Presbiteri dicuntur, denominatione desumpta à senectute, ut expli-

D 7

catur

catur in c. Cleros 2. v. Presbiter græce dist. 21. quia scilicet in ipsis requiritur maturitas morum, & sapientia, quæ frequentius in senibus reperitur.

2. Ad eum ministerii gradum assumuntur per sacram Ordinationem, quæ est Cœremonia sacra, per quam Ordinatis firmiter, & stabiliter confertur potestas offerendi Deo verum, & propitiatorium Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Domini: unde etiam appellantur Sacerdotes, quasi Sacrum dantes, ut explicat Isid. relatus in c. Cleros 2. v. Sacerdos autem dist. 21. in eos que Sacerdotalis dignitas Testamenti veteris, quæ ad Victimarum Sacrificia ordinabatur, cum multa novæ dignitatis accessione translata est, quemadmodum Sacrificiis illis mortuarum Victimarum successit in Hostiam Deus vivus, & verus, qui simul est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech peccatorum propitiatio, Gratia donorumque fons, & præmium beatissimum, ex Trid. sess. 22. c. 1. ¶ 2.

3. Inde fit, multo perfectiores animæ corporisque dispositiones requiri, tum de Jure Divino, tum etiam de Jure Canonico in Sacerdotibus novæ legis, ut suo munere rite fungantur, quam in Sacerdotibus legis veteris exigitæ fuerint. Quare quod omnibus Clericis præcipitatur à Trid. ead. sess. 22. c. 1. De refor. id à fortiori locum habet in sacerdotibus, ut scilicet vitam



vitam moresque suos omnes ita componant, ut habitu, gestu incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Itera servent, quæ à Summis Pontificibus, & à Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commissationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon sacerditalibus negotiis fugiendis copiosè, ac salubriter sancta fuerunt.

4. In immolanda autem super Altare vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, omnem operam, & diligentiam ponant, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atq; exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur. Quod si conscientiam habeant peccati mortalis, quantumvis fibi contriti videantur, attamen ad celebrandum non accedant, nisi præmissa Sacramentali Confessione, modo ipsis non desit copia Confessoris: & si quispiam necessitate urgente, absque prævia confessione contritione præmissa celebraverit, quamprimum confiteatur. Abstineant demum à cujusvis generis mercedum conditionibus, & pactis, necnon ab importunis atque illiberilibus eleemosynarum exactionibus, potius quam

quam postulationibus , aliisque hujusmodi,
quæ à Simoniaca labe , vel à turpi quæstu non
longe absunt , de quibus aliisque similibus vi-
deatur Trid. in cit. *sess. 22.* tum in Decreto *De*
observandis , & evitandis in celebratione Missæ,
tum De refor. c. 1. & in sess. 1; c. 7.

5. Huic eidem animæ corporisque puritati
servandæ consultum est per cœlibatum , quem
de Jure Divino annexum esse Sacerdotio gra-
ves aliqui Authores tradiderunt citati ab Azor
tom. 1. lib. 13. cap. 12. q. 1. aliis contra probabilius
sentientibus , annexum esse solum de Jure Ca-
nonico ab Apostolorum tempore . Mos iste ser-
vatus semper fuit ad hæc usque tempora in Ec-
clesia latina , ut constat ex pluribus , quæ late
congerit Bellar. *lib. 1. de Clericis c. 19.* Quin &
in ipsa Sacra Ordinatione votum solemne ca-
stitatis implicitè annexum est , quod est impe-
dimentum dirimens matrimonii contrahendi ,
ut constat ex *c. unico de Voto ex Voti redempt.* in 6.
cujus meminit etiam Trid. *sess. 24. can. 9.*

6. Idem Juris servatur etiam in Diaconis , &
Subdiaconis , de quibus in sequenti titulo sermo
erit : tenentur enim & ipsi ad cœlibatum tum
ratione legis , tum etiam ratione Voti solemnis ,
quod pariter eorum Ordinationibus implicite
annectitur , & est impedimentum dirimens ma-
trimonii contrahendi , ut constat ex *c. 1. & 2.*
Qui Clerici vel voyentes &c. c. 1. De Clericis con-
jug.

*jug. cit.c. unico de voto, & voti tede&empt.in 6. & ex
cit. can. 9. Trid. sess. 24. Inde est quod Ordo
Presbiteratus, sicut etiam Diaconatus, & Sub-
diaconatus, appellatur specialiter Ordo Sacer-
ad differentiam aliorum minorum Ordinum,
qnia scilicet est castitatis voto sacratus: quid-
quid sit utrum Subdiaconatus in Ecclesia sem-
per fuerit eo modo Sacer, de quo videri potest
Azor. tom. 1. l.13.c.13. q.2.*

7. Quod si contingat aliquem contracto antecedenter Matrimonio alligatum ad Sacrum Ordinem promoveri, si id fiat annuente uxore, tenebitur & ipse obligatione perfectæ conti- nentiæ, ita ut nec petere possit, nec reddere de- bitū conjugale, ut expresse declarat Leo I. Epist. 84. per ea verba *ubi promovendi sunt aliqui si ha- bent uxores, sint tanquā non habentes; & si non ha- bent permaneant singulares, quod idem etiam ex- pressè decernitur in pluribus capitibus dist 31. &* 32. ac propterea in c.conjugatus 5.de convers. con- jugator. præcipitur ut nullus conjugatorū ad Sa- cros Ordines promoteatur, nisi ab uxore conti- nentiam profitente fuerit absolutus. Sitamen aliquis de facto promoteatur uxore non con- sentiente, adhuc tenebitur obligatione non pe- tendi debitum, sed non erit à reddendi obliga- tione solutus, ut docet communis sententia cum S. Th. in additionib. ad 3. part. q. 53. art. 4. ad 1.

Hæc

8. Hæc dicta procedunt quoad ordinatos in Ecclesia latina. Quod autem attinet ad ordinatos in Ecclesia græca, prohibentur & ipsi matrimonium contrahere post susceptionem Ordinis Sacri, ut constat ex c. Si quis eorum 8. dist. 32. desumpto ex 6. Synodo generali, quod consuetudo communis etiam apud Grecos ita interpretatur, ut ea Ordinis Sacri suscepitio sit impedimentum dirimens matrimonii contrahendi ; at matrimonio ante Sacrum Ordinem contracto permittuntur uti, ex c. cum olim 6. de Clericis conjug. c. Quæsumus 7. de pœnit. & remiss. c. Ut Clericorum 13. de vita, & honestate Clericorum.

9. Præter potestatem sacrificandi Deum verum Deo vero Sacerdotibus competentem, cui potissimum per Sacros canones tanta animi corporisque puritate consultum est; alia etiam sunt officia, quorum vel ordinarius Minister est Sacerdos, vel saltem Delegatus esse potest. Ejus generis est post acceptam ab Ordinario approbationem, Sacramentum Pœnitentiarum ministrare, ex Trid. sess. 14. c. 6. Infantes baptizare, ex cap. Constat 18. de Consecr., dist. 4. sanctificatio Oleo ægrotantes injungere, Trid. sess. 14. de Sacr. Extrema Unctionis c. 3. benedicere dona Dei, c. Perfectis 2. vers. ad Presbyterum dist. 25. In casu autem extremæ necessitatis posse etiam delegari a Summo Pontifice Sacerdotem ad ministrandum



dum Sacramentum Confirmationis (cujus cathe-
roquin ordinarius Minister est Episcopus) clare
desumitur ex c. Pervenit i. dist. 95. Sed de his infe-
rius suo loco sermo erit, quando tractabitur de
Sacramentis Ecclesiae, ubi etiam exponentur tū
ea quae pertinent ad materiam, & formam Ordini-
nis Sacerdotalis, Ordinumq; reliquorum; tum
quae ad qualitates requisitas in Ordinandis. &c.

T I T. IX.

De reliquis qui sunt in Sacris constituti.

1. *Infra Presbiterum ratione Ordinis imme-
diata Diaconus subsequitur, & infra Diacono-
num Subdiaconus, qui ambo dicuntur esse in Sa-
cris, quia Ordinem habent castitatis voto sacra-
tum, unde tenentur ambo ad cælibatum, ut
paulo ante dictum fuit.*

2. *Diaconus græcè idem est ac latinè Minister:
quia sicut in Sacerdote consecratio ita in Diaconi-
no ministerii dispensatio habetur c. Cleros 2. vers.
Hi græcè dist. 21. 21. Ejus enim officium est affi-
stere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus,
quaæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptis-
mo, sive in Chrismate, & Patena, & Calice: ob-
lationes quoque inferre, & disponere in Altari:
componere etiam mensam Domini, at-
que vestire: Crucem ferre: tempore Sacrificii
legere*

legere ad Populum Evangelium ; & etiam Apostolum seu Epistolam cum abest Subdiaconus. Nam sicut Lectori vetus Testamentum ; ita Diacono novum publice legere præceptum est.

3. Ad ipsum quoque pertinet Officium precum, dicendo Litanias, & recitatio nominum Ordinandorum, & baptizandorum, & mortuorum, & excommunicatorum. Ipse præmonet aures habere ad Deum , dicendo humiliate capita &c. Ipse hortatur clamare , cum dicit Kirie eleison in Rogationibus. Ipse donat pacem. Ipse annuntiat festivitates. Sumuntur hæc ex c. perfectis 2. vers. ad Diaconum dist. 25. juncta Glos. ibid. Item in absentia Episcopi, & Presbiteri potest licite ministrare Baptismum, & Sacram Eucharistiam populo distribuere si extrema necessitas id exigat, c. Diaconus 13. &c. Præsente 18. dist. 93.

4. Inde est, quod Diaconi appellantur etiam ex hæbraica lingua Levitæ: quia scilicet sicut in lege veteri de Tribu Levi assumebantur homines , qui in Templo Dei Sacrificiis ministrarent; ita in lege Evangelica assumuntur Diaconi ad ministrandum Sacerdotibus in administratione Sacramentorum ex cit. c. Cleros vers. Levitæ dist. 21.

5. Subdiaconus latinè idem est ac Hypodiaconus græce, ideo ita dictus, quia subjacet præceptis, & officiis Levitarum, ex eod. c. Cleros vers.

Hypo-



*Hypodiaco*nos. Ejus officium est Calicem, & Patenam ad Altare Christi deferre, & Levitis tradere, eisque ministrare: Presbiteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere: oblationes in Templo Domini à Fidelibus ipsis suscipere, & Levitis superponendas Altaribus deferre: Pallas demum, & Corporalia abluere. Sumuntur hæc ex c. Perlectis 2. vers.

*Ad Subdiaconum dist. 25. c. Cleros v. Hypodiaco*nos. dist. 21. c. non oportet 31. &c. Non liceat 32. dist. 23.

T I T. X.

De iis qui sunt in minoribus Ordinibus con *stituti.*

1. Infra Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus, subsequuntur quatuor Ordines, nempe Acolythus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiarius, qui dicuntur minores, & non Sacri, non quod sint sacerdotes, & prophani, sed quia illis prohibitum est Sacra Vasa contingere, & ad Altare ducere ex cit c. Non liceat &c. Non oportet; ac præterea quia non sunt castitatis voto sacrati. Clerico enim in iis Ordinibus constituto permisum est matrimonium contrahere, ut aperte declarant plures textus tit. *De Clericis conjung.*

2. Illud tamen Juris in ejusmodi Clericis matrimonium contrahentibus servandum est, ut si quod beneficium Ecclesiasticum habuerint, sint

sint ipso facto eo Beneficio ptivati, omni que jure
quod habuerint ad quodlibet Beneficium, juxta
Textum in c. i. aliisque Juribus De Clericis con-
jug. Cum enim vir cogiter quomodo placere
possit Uxori, & quasi divisus in duo plenam sui
non habeat potestatem , minus quæ Dei sunt
valet cogitare quām in Clerico beneficiato re-
quiratur, c. Diversis 5. eod. tit. Quod statutum de
stylo Curiæ extenditur etiam ad pensiones Cle-
ricales, ut cum pluribus testatur Azor. 10. 1. lib.
13. c. 13. q. 8. Ad id autem satis est si Matrimoni-
um sit rantummodo ratum non consumma-
tum, ut docet communis sententia canonistarū
in cit. c. i. Unde etiamsi sponsa ante consumma-
tionem matrimonii Religionem profiteatur,
Maritus Beneficium non recuperat , quia fuit a-
missam, nec iterum repetitur nisi iterum confe-
ratur, cum Beneficium Ecclesiasticum sine cano-
nica institutione obtineri non possit, reg. 1. de reg.
juris in 6.

3. Acolythus olim Acoluthus vocabatur, ita
dictus quasi pedissequus ab εἰκολούχῳ quod est
sequor. Ejus enim munus est sequi Diaconum
ad locum Evangelii cum cero accenso (unde
etiam Ceroferarius appellatur) & præparare,
ac Subdiacono porrigitur vinum & aquam ad
Eucharistiam Sanguinis Christi, ex c. Acolythus
17. dist. 23. c. Cleros 2. vers. Acolythi dist. 21. c.
Perfectis 2. vers. Ad Acolythum dist. 25.

4. Ex-



4. Exorcistæ ex græco in latinum adjurantes sive increpantes vocantur: invocant enim super Catechumenos, vel super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini Jesu, adjurantes per Eum ut egrediatur ab eis, ex cit. c. Cleros v. Exorcistæ. Ipsorum etiam est aquam in Ministerium Baptismi præparare, locumque communicaturis distribuere.

5. Lector à legendo dicitur: ad ipsum enim pertinet lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ vaticinati sunt publicè legere c. Perfectis 2. v. ad Lectorem d. 25.

6. Ostiarii demum dicuntur ex eo quod præsint ostiis Templi. Ipsi enim tenentes claves omnia intus extraque custodiunt, atque inter bonos & malos habentes Judicium, fideles recipiunt, & respuunt infideles, cit. c. Cleros in fine.

7. Omnibus istis Ordinibus præmittetur prima Tonsura, quam non esse rigorose, & stricto modo Ordinem tradunt communiter Theologi apud Vasq. aliosque relatos à Castrop. part. 4. tract. 27. De Sacramento Ordinis puncto 2. n. 4. Ea enim non confert aliquod particulare officium relate ad ministerium Altaris; sed tantummodo disponit proxime hominem ad recipienda eadem officia, segregando illum à statu laicali, & admittendo ad clericalem. Vide etiam quæ dicentur infra l. 2. t. 8. n. 7.

TIT.

T I T. XI.

De Præbendis, seu Beneficiis Clericorum.

1. Absolutis iis, quæ pertinent ad varios statutus Clericorum, postulat ordo doctrinæ, ut de eorum præbendis beneficiisque tractetur. Quamvis enim ista pars Juris videatur esse extra ptopositam materiam hujus libri, in quo agitur de Jure Personarum; attamen non habet hic locum incongruum: quia Beneficia sunt annexa statui Clericali; ea autem quæ sui natura junguntur, debent quoque conjunctis tractatis comprehendi, ut colligitur ex §. 1. Inst. De Legatis, & l. Eum actum 17. ff. de negotiis gestis.

2. Beneficium in genere, & late acceptum significat gratiam, seu munus alteri collatum in ejus utilitatem, ut explicat Rebuff. in Praxit. 1. Quid sit Beneficium num. 2. & 3. Ex hac generalitate significationis derivata est appellatio Beneficii in ea genera gratiarum, seu munerum, quæ ab Ecclesia conferuntur Clericis, quando ipsis jus concedit percipiendi redditus annuos ex Ecclesiasticis bonis propter aliquod spirituale ministerium, ut qui Altari serviant de Altari vivant, & qui Divinis adscribuntur obsequiis, Ecclesiæ stipendiis sustententur, c. Cum secundum 16. de Præben. Atque ea sunt, de quibus hic nobis sermo est.

3. Be-

3. Beneficium Ecclesiasticum eo modo acceptum definiri potest: Jus authoritate Ecclesiastica constitutum percipiendi fructus annuos ex bonis Ecclesiæ collatum in perpetuum Clerico ob sacrum, & Ecclesiasticum ministerium. Ita Azor. p. 2. lib. 3. cap. 1. q. 2. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. glos. 5. in princip. aliquique relati à Castrop. p. 2. tract. 13. puncto 1. nu. 1. In idem recidit nomen Præbendæ prout plerumque ab Authoribus usurpatur, & ut etiam sumitur in Decretalibus tit. *De Præbendis*, ubi generaliter intelligitur de omni Beneficio Ecclesiastico: quamvis etiam aliquando sumatur contractius pro canonica portione, ea videlicet, quæ de communī reddituum Ecclesiasticorum massa capit, & præbetur singulis pro sua portione, ut in c. *Cum M. Ferrariensis* 9. *De Const.* & c. *Dilectus* 27. *De Præben.*

4. Dicitur *Jus*. Beneficium enim Ecclesiasticum non est propriæ actualis perceptio frumentum, sed *Jus ipsos percipiendi*. Dicitur *authoritate Ecclesiastica constitutum*: quia Beneficium Ecclesiasticum proprio non censetur, nisi per Episcopum sit ordinatum, ut docet Glos. communiter recepta in Clem. 2. *De Decimis* v. *Si Beneficiorum circa finem*. Dicitur *ex bonis Ecclesiæ*: quia bona illa, unde redditus colliguntur permanent sub dominio Ecclesiæ, nec alienari possunt à Beneficiato, eoque mortuo ad Ecclesiæ

siam revertuntur. Dicitur collatum in perpetuum Clerico: quia Beneficium non nisi Clerico dari potest, c. Ex litteris 6. De Transactionib. & c. Cum adeo 17. De descr. eidemque confertur in perpetuum, hoc est quamdiu vivit ipse Clericus, c. Sanctorum 2. dist. 70. Ea enim, quæ conseruntur ad certum tempus, seu revocabiliter ad nutum conferentis, non dicuntur simpliciter & sine addito Beneficia, sed solum minus proprie, & cum addito, videlicet Beneficia manualia. Dicitur demum ob sacrum, & Ecclesiasticum ministerium, cuius generis est cura Animarum, Choros, recitatio Horarum Canonarum, &c. ex c. Quia per ambitiosam 15. de descr. in 6. ubi dicitur beneficium Ecclesiasticum dari propter officium: ac propterea beneficium, seu illud Jus percipiendi redditus, est jus spirituale, utpote fundatum in officio spirituali, eidemque annexum.

5. Tria igitur in quolibet beneficio Ecclesiastico attendenda sunt, Primum est ipsum officium, seu obligatio ad aliquod spirituale ministerium; & hoc non tam beneficium, quam beneficii fundamentum, & causa vocari debet. Alterum est Jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale; & in eo Jure proprio consistit ratio beneficii. Tertium sunt ipsi fructus ex bonis Ecclesiasticis prove-

provenientes, qui sunt quid consequens ad beneficium.

6. **Beneficia Ecclesiastica** multipliciter dividuntur. Primo enim alia sunt Curata; alia non curata. **Beneficia Curata** dicuntur, quibus cura Animarum annexitur, sive sit cura Animarum proprie dicta, & quoad forum internum, qualem habet Parochus respectu Parochianorum suorum, de quo sermo est in Clem. 8. §. *Verum de Sepulturis*; sive sit cura Animarum improprie dicta, & quoad forum externum, & contentiosum, qualem habet de jure communi Archidiaconus, ut supra explicatum est tit. 7. **beneficia non curata** sunt, quibus nulla ejusmodi cura annexa est.

7. Secundo alia sunt simpiicia, alia duplia, seu majora. Duplia sunt, quæ specialem aliquam, ac solemnem Juris qualitatem annexam habent: Simplicia, quæ nullam. Cum autem speciales, ac solemnes beneficiorum qualitates numerentur communiter, Cura Animarum, Jurisdiction, Præminentia, Administratio rerum Ecclesiasticarum; inde est totidem quoque numerari duplichum, seu majorum beneficiorum genera, ex quibus ea quæ qualitatem habent curæ Animarum vocantur Curata, ut dictum est; quæ habent annexam jurisdictionem simul cum administratione rerum Ecclesiasticarum, seu cum præminentia supra taliacos

quoad locum magis honorificum, dicuntur habere Dignitatem, qualia sunt Abbatia, Archidiaconatus; &c. quæ habent annexam solam præminentiam quoad locum magis honorificum absque ulla jurisdictione rerumque administratione, dicuntur habere Personatum; quodemum habent annexam solam rerum Ecclesiasticarum administrationem absq; ulla jurisdictione in clericos, & absque gradu eminentiore habere dicuntur Officium, cuius generis est munus Sacristæ, Custodis, seu Thesaurarii, &c. Sumuntur hæc ex Glos. in cap. i. *De consuetud.* Ubi etiam notat, non obstante eo inter Dignitatem, Personatum, & Officium discrimine, aliquando Jura uti promiscue illis nominibus, ut in c. *Cum accessissent 8. de constitut.* in quo idem Primiceriatus circa initium textus vocatur Personatus, postea appellatur Dignitas, ac deinde circa finem capit is nominatur Officium.

8. Tertio alia sunt Beneficia sacerdotalia, alia Regularia, quæ divisio desumitur ex c. *Cum de Beneficio 5. de Præben.* in 6. Beneficium sacerdotiale dicitur, quod conferri debet sacerdotalibus Clericis, ex fundatione, vel saltem ex consuetudine legitimè præscripta, eod. c. *cum de Beneficio.* Regulare Beneficium est quod conferri debet Religioso, idque pariter ex fundatione, vel ex institutione Superioris, vel ex prescriptione legitima.

9. Quarto



9. Quarto ex supradictis Beneficium latius acceptum aliud est manuale, aliud non manuale, quæ divisio desumitur ex Glos. in *clem. unica de supplen. negligens. Prælator.* Manuale dicitur, quod confertur revocabiliter ad nutum conferentis: non manuale, quod consertur in perpetuum dum vivit Beneficiatus, ita ut à tali Beneficio amoveri non possit, nisi certis de causis à Jure concessis, vel permisssis; atque illud est, quod magis proprie Beneficium appellatur, ut supra dictum est.

10. Quinto demum alia sunt Beneficia collativa, quæ scilicet conferuntur pro libera voluntate eorum, ad quos collatio pertinet: alia electiva, quæ conferuntur mediante electione à clericis, seu canonicis facta, legitime confirmata à Superiore: alia Patronata, seu mixta, quæ nominante & designante Patrono cuius est clericum promovendum præsentare, & iustituen- te Episcopo conferuntur.

T I T. XII.

*De etate, & qualitate promovendorum ad
Beneficia.*

1. Cognita natura, & divisionibus Beneficiorum, consequens est ut agatur de iis, quæ requiruntur ad legitimam eorundem

collationem, tum ex parte eorum, quibus conferenda sunt, tum etiam ex parte Conferentium, quorum primum tractabitur in praesenti titulo, alterum in sequentibus.

2. Quod igitur attinet ad eos quibus conferri Beneficia debent, certi Juris est eos nonnisi Clericos esse debere prima saltē Tonsura initiatos, ut in præced. tit. dictum est num. 4. ex c. Ex litteris 6. de Transactionib. eosque idoneos, qui Deo, & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum c. Grave 29. De Præben. Huic Juri servando cautum est à Trid. sess. 7. de refor. c. 13. ubi decernitur, ut præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia, non insituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur; Exceptis tamen præsentatis, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum.

3. Idoneitas autem ejusmodi ex pluribus attendi debet, quorum aliqua numerantur in cit. c. Grave 29. De Præben. & in Trid. sess. 24. de refor. c. 1. suntque potissimum morum honestas,

scien-

scientia litterarum, ætas legitima, de quibus etiam sermo est in c. Cum in cunctis 7. de elect. Clem. I. de ætate, & qualit. Quæ omnia fortiori Jure requiruntur pro Beneficiis curatis, multoq; adhuc fortiori pro provisionibus Cathedralium Ecclesiarum, in quibus majus Animarum periculum vertitur, si per inhabiles ministrentur: quia, ut loquitur Trid. sess. 24. de refor. c. i. totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.

4. Inde factum est, ut non ea sola Juris remedia pro legitime conferendis iis majoribus Beneficiis servanda sint, quæ sufficiunt pro minoribus; sed alia insuper specialia circa examen, & inquisitionem de promovendis habendam aliaque similia, quæ pro conferendis Beneficiis curatis sancita leguntur in Trid. cit. sess. 24. de refor. c. 18. & in Bulla 33. B. Pii V. quæ incipit *In conferendis*, quam refert Quarant. in *Summa Bullarii v. Beneficiorum Parochialium collatio*; pro conferendis autem Ecclesiis Cathedralibus, aliisque Superioribus, seu Monasteriis, ac cæteris Dignitatibus, quæ in Consistorio providentur, in ead. sess. 24. de refor. c. 1. & in Constit. 6. Gregorii XIV. quæ incipit *Onus Apostolicae* edita anno 1591. apud eundem Quarant. in cit. *Summa Bullarii v. Electio*.

5. Sed neque satis est eadem Beneficia di-

gnis, & idoneis provideri: requiritur enim, ut in concursu plurium dignorum dignioribus conferantur, quod de Episcopatibus aliisque Beneficiis curatis expresse definitum est à Trid. in cit. c. 1. & 18. de refor. sess. 24. cum præsertim tales Dignitates conferri soleant mediante concursu & examine competitorum, ex quo oriatur quidam quasi contractus, & obligatio naturalis, ratione cuius peccatur etiam graviter contra Iustitiam, si inventus in examine dignior negligatur.

6. Circa Beneficia simplicia controversi Juris est, utrum idem servandum sit, aliis opinantibus ad eadem non extendi illud grave præceptum de dignioribus præferendis; aliis in contrarium affirmantibus extendi, inter quos citatur S. Th. 2.2. qu. 63. art. 1. & 2. & q. 185. art. 3. Valent. to. 3. disp. 5. quest. 7. puncto 2. qu. 2. aliquique plures quos refert Garz. 7. par. de Beneficiis c. 16. Castrop. par. 2. tract. 13. disp. 2. puncto 11. num. 8. Azor. to. 2. lib. 6. c. 15. quest. 1. Hæc secunda sententia videtur probabilior, tum quia magis est Sacris Canonibus conformis, in quibus supponi videtur illud generale præceptum pro omnibus Beneficiis etiam simplicibus, ut in c. unico. Ut Ecclesiastica Beneficia, &c. in iis verbis: non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium, & Beneficium in persona magis idonea dispensare: sermo



mo autem ibi est de Beneficio non curato , sed simplici , ut patet ex contextu : tum etiam quia prætermisso dignioris haberi non potest sine aliqua acceptione personarum , quæ prohibita est in c. In judiciis 12. de reg. Juris in 6.

7. Dignior autem pensatis omnibus ille censendus est , qui habito respectu ad doctrinam , & mores utilior Ecclesiæ futurus esse judicatur . Quare si contingat aliquem præditum esse minori doctrina , quam alium , sufficienti tamen ad Beneficium , sed multum in probitate morum , atque prudentia prævalere , ratione cuius censeatur multo utilius Ecclesiam administratus ; præferendus erit doctiori , quia sic utilius Ecclesiæ providetur . Qua ratione tradunt etiam Authores nonnulli apud Azor in cit. cap. 15. q. 3. & 4. posse nonnumquam ignobili doctiori , ac sanctiori præferri nobiliorem , & potentiorum sufficienti doctrina , ac probitate dotatum , quando scilicet Beneficium indiget defensore , vel protectore administrante : item præferri posse qui certo cognoscitur esse dignus seu sufficienter doctus , & probus , relicto doctiori cuius vita ignoratur , de qua re extat etiam declaratio Cardinal. Concilij citata à Pialec. in praxi p. 2. c. 5. art. 3. num. 10. Ex eadem quoque majoris utilitatis Ecclesiæ ratione descendit , externo magis idoneo præferri debere idoneum , qui sit ex eadem civitate , vel de grecio

mio Ecclesiæ, ex c. Nullus 13. dist. 61. Præsumitur enim utilius, & cum majori peritia administratur res Ecclesiæ, qui in eadem suam transagit ætatem: & ita Sacrum Cardinalium Collegium ex ipsis Cardinalibus digniorem eligit, ut præscribitur in c. Oportebat. 3. cum seq. dist. 79. quamvis extra Collegium alius ipso dignior inveniatur.

8. Utrum autem ad eam prælationem dignioris teneatur etiam Patronus in præsentando, & renuncians in renunciando, seu permutando Beneficio, indicabitur infra, ubi de Jurepatronatus, & ubi de Renunciatione, ac permutatione Beneficiorum.

9. Quod si de facto contingat aliquem idoneum ad Beneficium promoveri digniore prætermisso, quamvis ejusmodi promotio sit illicita, erit tamen valida, ne litibus occasio aperiatur, & Christiana Resp. perturbetur, juxta communem sententiam, ut videre est apud Covarr. in reg. peccatum p. 2. §. 7. num. 3. aliosque relatos à Vasq. de Beneficiis cap. 2. §. 3. dub. 17. in fine, & à Castrop. p. 2. tract. 13. disp. 2. pun. 11. §. 3. ubi tamen rectè excipit Beneficia curata per concursum provisa, quia Trid. sess. 24. de refor. cap. 8. mandat ea conferri dignioribus ex approbatis ab Examinatoribus, & postea subdit: *provisiones omnes, seu institutiones præter supradictam formam factæ, subreptiæ esse censeantur,*
quod

quod idem præcipit B. Pius V. in supracit. Constit.; In conferendis super collatione Ecclesiæ Parochialium edita anno 1567. quæ in Bullario est 33. inter Constitutiones ejusdem Pontificis, ubi inter reliqua digniori prætermisso dat facultatem appellandi à mala electione: ita tamen, ut ea appellatio interposita, interim non impedit aut suspendat quo minus elecțio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni & provisus ab eadem Ecclesia causa appellationis hujusmodi dependente non amoveatur.

10. Utrum autem in eodem casu promotionis ad Beneficium minus digni præ magis digno, & à fortiori in casu promotionis indigni, detur in promovente aliquo obligatio restituendi sive Ecclesiæ, sive digno aut digniori prætermisso videri potest fuse tractatum à Theologis, inter quos Vasq. *De Beneficiis in cit. cap. 2. §. 3. dub. 17. Castrop. in cit. pun. 11. §. 4.* aliisque ab ipsis citati.

11. Quod attinet in particulari ad ea, quibus dictum est constitui idoneitatem Clerici promovendi, prima est morum honestas, ex cuius defectu Clerici criminosi, c. inter dilectos 11. de excess. Prælat. Excommunicati . c. postulasti 7. de Clerico excommunic. Suspensi, c. cum dilectus 8. de consuet. &c. cum bona 8. de ætat. & qualit. Interdicti,

terdicti, c. i. de postulat. Prælat. juncta communis sententia Canonistarum: Infames demum sive infamia juris, sive infamia facti, c. *infamibus* 87. de reg. jur. in 6. juncto cit. c. inter dilectos ii. de excess. Prælat. ad Beneficia sunt inhabiles. Cum enim Beneficium detur propter officium, & quum est, ut qui crimine, vel censura ab Officio, seu Ordinis executione sunt prohibiti, etiam à Beneficii assecutione prohibeantur.

12. Hæc ratio extenditur etiam ad clericos in prima tantum Tonsura constitutos, qui pariter comprehenduntur sub generali prohibitione ne Beneficia criminosis, aut censura ligatis conferantur. Quamvis enim ii per censuram aut crimen à nullius Ordinis executione prohibeantur cum nullum Ordinem habeant, & ex altera parte non reddantur inhabiles ad recitandas privatim Horas Canonicas, quæ sunt unicum Officium quibusdam Beneficiis annexum; adhuc tamen ab iisdem Beneficiis obtainendis per criminositatem, vel censuram removentur, quia per eandem prohibiti sunt Ecclesiastico Ordine initiari, & Sacra menta percipere, quæ ratione sui munieris, & officii suscipere debet qui ad Beneficium promovetur, ut colligitur ex c. si celebrat. ult. de clero ex com. ubi ex eadem ratione decernitur, excommunicatum excommunicatione minori eligi ad Beneficia non posse, & si de facto

facto eligatur, electionem irritandam esse, pro eo quod ad susceptionem eorum electus sit, quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus.

13. Hæc dicta procedunt etiam si excommunicatus aut alia censura ligatus toleratus fit: constitutione enim Concilii Constantiensis *Ad evitanda*, per quam cæteroquin permittitur communicare cum excommunicato tolerato nullus favor excommunicato indulgetur, sed tantummodo consulitur reliquorum Fidelium conscientiæ.

14. Item dicta procedunt etiam si censura aut excommunicatio sit penitus, & invincibiliter ignorata. Talis enim ignorantia quamvis excusat à culpa *juxta c. Apostolicae 9. de cler. excomm.* non tamen dat valorem actui alias invalido, neque impedit effectum provenientem ex censura contracta. Quod circa excommunicationem majorem convenit inter Authores, ut tradit Covarr. in *c. Alma p. 1. §. 7. n. 3.* Circa minorem autem excommunicationem, negatum id fuit à quibusdam tacito nomine citatis ab Azor *p. 2. lib. 6. cap. 7. q. 7.* ea ratione ductis quod in cit. c. si celebrat dicatur irritanda electio excommunicati excommunicatione minori, si scierter talis electus fuerit; at alii passim, & multo probabilius cum communi sententia docent

irritandam quoque esse ejus electionem , etianus si ejus excommunicatio sive solum ab Electo , sive ab Electoribus , sive ab utrisque sit invincibiliter ignorata. Irritatur enim ea electio non propter peccatum quod Electus committat acceptando eam electionem, aut propter peccatum, quod committant Electores , sed propter incapacitatem personæ , ut satis indicant ea verba textus : *pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur , à quorum perceptione à S. Patribus est privatus quæ ratio locum habet sive excommunicationis cognoscatur, sive invincibiliter ignoretur.* Neque obstant illa verba Textus *Si scienter talis electus fuerit.* Nam ut explicat Suar. De cens. disp. 24. sect. 2.n. 18. illa particula *scienter*, posita videtur potius ad augendum , quam ad limitandum , itaut sensus sit *etiam si scienter*, ne videretur irritari solum debere talis excommunicati electio quasi subreptitia , & involuntaria electoribus , quando ejus excommunicationis ignoratur; sed etiam quando est electio omnino voluntaria cum notitia minoris excommunicationis.

15. Quod si de facto contingat Beneficium excommunicato conferri præterquam quod ea collatio nulla est, debet etiam Collator, qui scienter ita contulerit , tamdiu à Beneficiorum collatione suspendi , donec super hoc veniam
con-



consequi mereatur, ut puniatur in hoc in quo peccare præsumpsit, juxta textum expressum in c. postulatis 7. De Cler. excom. Ejusmodi pœnam Glos. in c. Si celebrat ult. eod. tit. v. scienter extendit etiam ad eum, qui scienter conferat Beneficium excommunicato excommunicatio-ne minori. Contrarium tamen sequitur Pánor. in cit. c. Si celebrat num. 7. Suar. De cens. disp. 24. sect. 2. num. 22. & ut ipsi testantur, alii com-muniter.

16. Quæstionis est utrum collatio Benefi-cii facta habenti censuram sit ipso jure irrita, an solum per sententiam irritanda? Hac in re con-veniunt Authores collationem factam ligato excommunicatione majori, esse ipso jure nul-lam, ut videre est apud Covarr. in cit. §. 7. nn. 1. satisq; probat textus in cit. c. Postulatis 7. de cler. ex com. Idem Juris servandum esse etiam in su-penso, vel interdicto afferit communis senten-tia, quam ex variis Rotæ decisionibus firmat Garz. De Benef. p. 7. cap. 14. n. 1. aliquique passim tradunt, quos citat, & sequitur Castrop de cens. disp. 2. pun. 10. n. 25. quamvis in contrarium sen-tiat Suar. de cens. dis. 26. sect. 3. n. 8. & disp. 27. sect. 1. n. 26. circa excommunicatū excommunicatio-ne minori controversia major est, afferentibus Beneficii collationem ipsi factam esse ipso jure nullam, inter quos citatur ab Azor. p. 2. l. 6. c. 7. q. 7. Innoc. Host. And. Joan. Pánor. in cit. c. Si ce-lebrab-

lebrat ; aliis in contrarium affirmantibus eam collationem validam esse , sed irritari debere , quos abundè citat Castrop. *disp. 2. Decens. pun. 2.1.15.*

17. Quæstionis etiam est utrum ad Beneficium ante excommunicationem electus illud valide acceptet postquam est excommunicatio ne ligatus ? In qua duplex est sententia , quarum prima asserit eam acceptationem validam esse atque ita tradit Covar. in c. *Alma p. 1. §. 7. n. 4.* aliique ab ipso citati , quos etiam sequitur A zor. *p. 2. lib. 6. cap. 7. q. 9.* & Garz. de Benef. *p. 7. c. 13. n. 35.* Altera sententia , quam sequitur Suar. de cens. *disp. 13. sect. 1. n. 17.* Vasq. de Benef. *c. 4. §. 4. dub. 2. n. 245.* aliique eam validitatem negat : quia per acceptationem acquiritur perfectum jus in Beneficio , ut colligitur ex c. *Si tibi absenti 17. de præb. in 6. adeoq; supponitur ejusdē juris capacitas in acceptatione : quare ubi ea capacitas non datur , acceptatio nihil facit.*

18. Quæstionis demum est utrum collatio Beneficii alicui facta quando erat excommunicatus , aut alia censura ligatus , per absolutio nem à censura validetur ; an contra opus sit post absolutionem alia collatione ? Hanc difficultatem , in qua sunt divisi Doctores , latè tractat Sanc. de matrim. *l. 8. disp. 7. n. 12.* & seq. Castrop. de cens. *disp. 2. pun. 10. n. 21.* aliique abi phis



psis citati. Sententia autem reliquis probabilior ea videtur, quæ docet prædictam collationem per solam absolutionem à censura regulariter non validari, sed sicut si matrimonium contrahatur à persona inhabili, per solam ablationem impedimenti dirimentis non validatur prior ille contractus, sed debet iterum contractus celebrari ; ita pariter per solam absolutionem à censura prior collatio Beneficii, quæ nulla fuit ipso jure, non convalescit, sed opus est eam iterum fieri, quod est exemplum allatum à Suar. de cens. disp. 13. sect. 1. n. 29. Videri potest idem Sanch. in loco cit. ubi aliquas pro hac re limitationes adducit.

19. Hactenus dicta de invaliditate electionis excommunicati, aut alia censura ligati ad Beneficia, Dignitatesque Ecclesiasticas, limitationem patiuntur quoad electionem Summi Pontificis, quæ nullatenus invalidatur per ullam censuram, qua antecedenter ad electionem in nodatus electus existeret, ut colligitur ex cap. Licet 6. de elect. ubi dicitur electus à duabus partibus Cardinalium, absque ulla exceptione pro legitimo Pontifice habendus, & expressus in const. Greg. XV. *Æterni Patris §. Volumus etiam*, ubi decernitur nullius censuræ prætextu Cardinales excludi posse ab electione activa & passiva, quod statutum fuit ad tollenda pericula fraudum aut schismatum, quæ sequi possent,

fi

si ejus generis exceptionibus locus esset.

20. Alterum, per quod supra dictum est constitui idoneitatem Clerici ad Beneficia, est litterarum scientia, quæ ex Innoc, in c. cum in cunctis De elect. distinguitur in eminentem, mediocrem, & eam quæ sufficit tanquam idoneam ex quibus & si eminens desideranda sit in Beneficiariis omnibus, attamen etiam competens toleratur, quia imperfectum scientiæ potest supplerre perfectio Charitatis, c. Nisi cum pridem 10. de renunc. Quod præsertim locum habet in iis Beneficiotum generibus, quæ officium habent annexum, pro quo non ita eminens scientia necessaria est. In hac enim re est generalis regula, eam litterarum peritiam idoneam censendam esse & ad Beneficia necessariam, quæ necessaria est ad exercendum officium Beneficiis annexum, cum Beneficium detur propter officium c. fin. De rescr. in 6.

21. Inde fit promovendum ad Episcopatum aliasve Superiores Prælaturas, cum assumatur in Pastorem Populorum, talis doctrinæ esse debere, ut potens sit exhortari alios in doctrina sana, & eos qui contradicuntur arguere, ut præcipit Apostolus in Epist. ad Titum cap. 1. Ex eadem quoque ratione præscriptum est à Trid. sess. 22. de refor. c. 2. ut antea in Universitate Studio rum Magister sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia vel Jure Canonicō merito sit promotus,



motus, aut publico alicujus Academiæ testimoniō idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.

22. Idem gradus Doctoratus aut Licentiaturæ in Sacra Theologia, aut Jure canonico requiriatur pro canonico Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis, ex præscripto ejusdē Trid. *sess. 24. de refor. c. 8.* & pro Archidiacono, ead. *sess. 24. de refor. c. 12.* Demum in *sess. 23. de refor. c. 18. vers. de cætero* universaliter præcipitur, ut Officia, vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut licentiatis in sacra Pagina, aut in Jure canonico, & alias personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possit, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit, & invalida.

23. Non dissimili ratione determinatur pro aliis Beneficiorum generibus quanta, & qualis scientia necessaria sit, habito scilicet respectu ad Officium in quo fundata sunt. Quotquot igitur Beneficia jurisdictionem habent annexam, causarumq; judicium, hominē exigunt in utroque jure peritū, ut legitimū causis finem, justamq; sententiam imponere valeat, ut tradit Menoch. *de arb. casu. 425. n. 42.* & Gonz. *ad reg. 8. cancell. glof. 4. n. 68.* Quod attinet ad Beneficia omnino simplicia, vel annexū habent aliquē Sacrum Ordinem, puta Presbiteratum, aut Diaconatum, vel Sub-

diaconatum , ut sunt Canonicatus Cathedralis ecclesiæ ex præscripto Trid. sess. 24. de reform. c. 12. vel nullum ejusmodi sacrum Ordinem annexum habent , sed tantummodo horarum Canonistarum recitationi destinantur. Primi generis Beneficia eam scientiam postulant , quæ pro talibus Ordinibus suscipiendis necessaria est , quæ qualis sit videri potest in Trid. sess. 23. de refor. c. 4. n. 13. & 14. quibus adde c. 12. de refor. ses. 24. ubi sacrum Concilium hortatur ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes & saltem dimidia pars canoniciatum in Cathedralibus Ecclesiis , & Collegiatis insignibus , conferantur tantum magistris , vel Doctoribus , aut etiam Licentiatis in Theologia , vel Jure Canonico. Ad alterius autem generis Beneficia ea scientia per se necessaria est , quæ ad Horarum canonicarum recitationem exigitur , puta ut sciat latine legere , & intelligere , &c. ut tradit expresse Flamin. Parisius De resignat. lib. 4. q. ult. n. 30. Gonz. in cit. gloss. 4. n. 73. Garz. de Benef. p. 7. c. 7. n. 8. & Azor. par. 2. lib. 6. c. 6. q. 2. & 3.

24. Quæstionis est utrum Collatio Beneficii facta illitterato sit ipso jure irrita ? In hac re convenient Doctores , esse ipso jure irritam si fiat penitus illitterato , puta qui legere , & scribere latine nesciat , ut sumitur ex c. Illitteratos 2. dist. 36. Si autem collatio fiat ei , qui aliquam scientiam



entiam habeat, unde non sit penitus inhabilis ad suum Officium peragendum, irritam ipso jure non esse, sed irritari debere, Authores aliqui docuerunt, quos citat, & sequitur Castrop. tract. 13. de Beneficiis disp. 4. pun. 6. num. 8. quibus etiam adhæret Less. lib. 2. de Justit. c. 34. dub. 24. in fine, cum limitatione, nisi qui ita ad Beneficium promotus est, brevi putaretur habiturus scientiam sufficientem.

25. Tertium quo dictum est Clericorum idoneitatem ad Beneficia constitui, legitima ætas est, quæ pro diversis Beneficiorum generibus diversa requiritur. Ad Episcopatum enim opus est ætate 30. annorum completorum, ut præscribitur in cap. cum in cunctis 7. de elect. Ad dignitates Episcopatu inferiores, puta Decanatum, Archidiaconatum, aliaque quæ curam Animarum annexam habeant, necesse est saltem vigesimum quintum ætatis annum attigisse, ex eod. c. cum in cunctis §. Inferiora, & Trid. sess. 24. de refor. c. 12. Pro reliquis dignitatibus, vel Personatibus, quibus nulla Animarum cura subest, satis est viginti duobus annis non esse minorem, ex eod. c. 12. Trid. Beneficia demum simplicia, etiam ea quæ olim post septimum ætatis annum conferri pueris poterant, ut tradit Sylvester. v. *Ætas q. i. de jure recentiori statuto à Trid. sess. 23. de rofor. c. 6.* obtineri non possunt ante annum decimum quartum;

præter-

præterquam quod si Beneficia ejus generis sint quæ annexum habeant aliquem Ordinem Sacrum, quales dictum est supra esse Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis ex statuto Trid. *sess. 24. de refor. cap. 12.* pro iis ætas illa requiritur, quæ sat is est, ut intra annum possit Beneficiarius eo Ordine iniciari: quemadmodum, & si alicui Præbendæ sit annexum munus Pœnitentiarii in Ecclesia Cathedrali, ætas exigitur ad id mun eris requisita, nempe annorum quadraginta, ex Trid. *sess. 24. de refor. c. 8.*

26. Præter hactenus dicta, alia quoque in promovendis ad Beneficia requiruntur ex præ scripto Sacrorum Canonum, ut eorum promotio sit legitima. Opus enim est, eos esse ex legitimo matrimonio natos, alias ad Beneficia, sicut & ad Ordines sunt inhabiles, & irregulares, ex c. *Innotuit 20. de eleft. c. Litteras 14. de filiis Presb.* totoque eod. tit. in 6. sive nati sunt ex parentibus non solum non conjugatis, sed etiam tunc inhabilibus ad matrimonium inter se contrahendum, quales sunt qui concipiuntur ex adulterio, in quo casu appellantur Spurii, si ve sunt nati ex parentibus tunc cætetoquin habilibus ad Matrimonium, in quo casu generale nomen retinent illegitimotum.

27. Id tamen discriminis pro re præsenti inter ipsos est, quod filii illegitimi, qui ex parentibus ad matrimonium tunc habilibus nati sunt,

per



per subsequens matrimonium legitimantur, adeoque per idem redditum habiles ad Ordines, & Beneficia, perinde ac si constante matrimonio nati essent; secus autem Spurii, qui semper spurii remanent, adeoque semper ad Ordines, & beneficia sunt inhabiles, etiamsi postea contingat cessante impedimento iporum parentes legitimo matrimonio copulari, ut expresse decernitur in c. Tanta 6. *Qui filii sunt legimi.* Ratio disparitatis est: quia beneficium legitimacionis per subsequens matrimonium habetur ex concessione legis quodammodo fingenitis, & retrotrahentis celebrationem matrimonii ad tempus in quo filius conceptus aut natus est: fictio autem Juris, & retrotractio non procedit, ubi non datur capacitas, & habilitas in termino fictionis, & retrotractionis, quia super impossibili lex fictionem non admittit, ut pluribus confirmat Panor. in c. 1. *De convers. infidel. num. 10.* & Bart. in l. *Si is qui pro Emptore ff. de Usu cap.*

28. Quod tamen dictum est habentes defecum natalium promoveri ad Beneficia non posse, non ita obtinet ex insolubili necessitate, ut in nullo unquam casu possit cum illis rationabiliter dispensari, sive à Summo Pontifice cuius authoritas necessaria est, ut Illegitimus Beneficio curato potiatur, aut Dignitate, aut Personatu, ex c. fin. de filiis Presb. sive ab Episcopo, cuius dispens-

dispensatio, satis est pro simplicibus Beneficiis, sicut & pro minoribus Ordinibus suscipiendis, ex c. i. cod. in 6. si cæteroquin Beneficia talis generis non sint, quæ limites excedant dispensationis Episcopalis, qualia sunt, quæ vel secundum jus commune, vel secundum consuetudinem Curiæ, vel secundum statutum Ecclesiæ particularis juratum, aut à Sede Apostolica confirmatum negantur speciali ratione illegitimi sub quo genere reperitur Beneficium quodlibet in ea Ecclesia, in qua Pater illegitimi est, aut fuit Beneficiatus, de quo expresse cavetur in Trid. sess. 25. de refor. c. 15. ubi jus antiquum immutatur, à quo non erat speciali ratione prohibitum, Illegitimum in ea Ecclesia Beneficium saltem dissimile accipere, in qua Pater de præterito Beneficiarius fuit, quæ mutatio non procedit circa natos ex legitimo matrimonio, adeoque in his servandum est Jus antiquum expressum in c. Ad extirpandas 11. c. Dilectus 17. &c. Ex transmissa 7. de filiis Presb. ut scilicet prohibentur tantummodo immediate succedere Patribus suis in Beneficio ad vitandam imaginem successionis hæreditariæ; at mediate succedere permittantur, ut pluries fuisse decisum refert Barb. de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 65. num. 16.

29. Alterum etiam quod requiritur ad legitimam Beneficiorum collationem est ex supradictis



dictis cælibatus & clericatus, unde si quis clericus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium contrahat, eo ipso beneficium amittit, quod habebat, ut dictum est tit. 10. n. 2. Sed & pro quibusdam dignitatum, seu beneficiorum generibus certus aliquis Ordo præquiritur, ut patet ex c. Nullus 1. & 2. dist. 6o. & ex Trid. sess. 22. de refor. c. 2. ubi dignitates aliquæ numerantur quibus sacer Ordo Sacerdotii, aut Diaconatus præmitti debet, & pro Episcopatu decernitur, ut Ordo sacer acceptus sit ante sex menses.

30. Hæc dicta procedunt quoad Ordinem in beneficiorum collatione prærequisitum. Cæterum pluribus beneficiorum generibus, illud etiam speciale est, ut ulteriorem aliquem Ordinem exigant si non antecedenter acceptū, saltem postea intra terminum certi temporis accipiendum. Sic ad Episcopatum assumptus tenetur intra tres menses munus Episcopalis Consecrationis accipere, ex Trid. sess. 23. de refor. cap. 2. Adepti Ecclesiam parochialem renentur intra annum ad Sacerdotium promoveri, c. Commissa 35: de elect. in 6. Asscuti Dignitates, Personatus, aut alia Beneficia, quibus annexa sint aliqua munia, obligantur etiam intra annum ad suscipiendum Ordinem ei muneri convenientem, Trid. sess. 22. de reform. c. 4. Adepti demum Canonicatus Cathedralis Ec-

clesiæ, quibus ex statuto Trid. sess. 24. de refor-
cap. 12. annexus esse debet aliquis Ordo Sacer-
te-
nentur intra annum ad Sacrum Ordinem pro-
moveri.

31. Demum generaliter illud pro legitimi
beneficiorum concessione attendendum est,
ne ulli conferantur, qui quomodolibet arce-
tur à Sacro Ministerio ratione alicujus irregu-
laritatis, aut infamiae, utcumque contractæ, ex
quo capite non solum hæretici, illorumque fau-
tores, sed etiam eorum filii à beneficiis exclu-
duntur: usque ad secundam generationem in-
clusivè in linea paterna, ad primā autem dum-
taxat in linea materna, supposito quod hæretici
ipsorum parentes ante mortem pœnitentes non
fuerint, ex c. Statutum 15. de hæreticis in 6.

T I T. XIII.

*De libera collatione Beneficiorum quoad Summum
Pontificem.*

1. Absolutis iis quæ pertinent ad qualitates
promovendorum, consequens est ut ad
promoventes tractatio dirigatur, sive sint pro-
moventes omnino liberi in determinanda per-
sonæ promovenda, de quibus primò sermo erit,
sive dependeant à præsentatione Patroni, de
quibus postea tractabitur.

2. Fa-



2. Facultatem omnium Beneficiorum liberè collativam , etiam illorum , quæ cæteroquin sive de Jure scripto , sive de privilegio , sive de legitima consuetudine conferri possunt ab inferiori Collatore , plenissimè competere Summo Pontifici , manifestissimi Juris est , ex cap. 2. de præben. in 6. Si quid enim ejusmodi facultatis alicui concessum sit , id respectu Pontificis non privativè , sed cumulativè , & conservata Pontifici majori potestate , concessum dicendum est , ut habetur ex cap. dudum 14. eod. in 6. Inde sit , si contingat unum idemque Beneficium tum à Pontifice , tum ab inferiori Collatore conferri , prævalere collationem à Pontifice factam , ex eod. c. dudum nisi tamen Inferioris collatio legitimis documentis anterior fuisse demonstretur , in quo casu prævalet jus Inferioris , ut expressè deciditur in cap. s. à Sede 31. eod. in 6. cum in ea causa potior sit conditio possidentis , reg. 65. de reg. jur. in 6. In praxi tamen Summus Pontifex raro utitur eo jure præventionis sive concursus , ut vitetur confusio.

3. Sed & præter eam liberæ facultatis universalitatem , aliqua sunt Beneficiorum genera , quorum collatio privativè pendet à potestate Pontificis : sive ratione devolutionis , quando scilicet jus , & potestas tota conferendorum Beneficiorum , ob negligentiam , vel de-

licitum inferiorum Ordinariorum devoluta est ad Pontificem: sive ratione affectionis, quando videlicet Suimus Pontifex suam Jurisdictionem exercere cœpit super aliquo beneficio ad effectum illud conferendi, in quo casu inferior Ordinarius, cui cætroquin facultas illius conferendi competenteret, manus in illud immittere prohibetur: sive demum ratione reservationis super aliquibus dignitatibus, seu beneficiis de Jure Canonico statutæ, ut eorum conferendorum facultas cuilibet alteri Ordinario stabili-
ter, & perpetuo sit negata, tum pro maiestate Sedis Apostolicæ, tum etiam pro majori unio-
ne, & communicatione servanda particula-
rium Ecclesiarum toto orbe existentium cum Ecclesia Romana.

4. In particulari autem Beneficia Summo Pontifici reservata censentur primò quæ in Curiā sive apud Sedem Apostolicam vacare con-
tingat, juxta textum expressum in c. licet 2. de præben. in 6. quod declaratur in cap. præsenti 34.
eod. in 6. ita ut intelligendum sit de omnibus iis
Beneficiis, quæ venientes ad Rom. Curiam, vel
etiam recedentes ab ipsa obtainere noscuntur,
si eos mori contingat in loco, ubi est Curia, vel
in locis vicinis, hoc est intra duas dietas lega-
les, seu intra 40. milliaria, ut ibidem explicat
glos. v. legales ex l. Vicena millia 1. ff. si quis cau-
tionib. — Idem juris servandum esse si quis illo-
rum



rum moriatur in loco , ubi transunter etiam
absque sua Cancellaria , & Audientia est Rom.
Pontifex , expressè decernitur in Constit. 54.
Clementis VIII. ubi declaratur in casu absentiæ
Pontificis ab urbe , tum locum ubi ipse mora-
tur , tum Romanam urbem pro una , & eadem
Curia censendam esse quoad Beneficia , quæ si-
ve in dicta urbe , sive in civitate ad quam Papa
se contulit , vacare contingat.

5. Quamvis autem hujus reservationis de-
cretum temperatum olim fuerit in c. statutum 3.
de præb. in 6. ut ea reservatio locorum haberet
intra mensem à die vacationis , quo mense
transacto , si Pontifex non providisset , possent
ii ad quos de jure ordinario provisio pertine-
bat , providere ; attamen hoc ipsum tempera-
mentum esse nunc revocatum per extrav. pie
sollicitudinis i. aut per extrav. ad regimen. 13. de
præb. inter comm. adeoque etiam mense trans-
acto manere reservata Pontifici beneficia , quæ
in Curia vacaverunt , tradunt Gonz. de mensib.
& alternativis §. 5. proœm. an. 148. Garz. de be-
neficiis p. 5. cap. 5. §. 1. à n. 98. Castrop. tract. 13.
de benef. disp. 2. pun. 16. n. 5. ubi testatur hanc
esse consuetudinem , & stylum Curia.

6. Excipienda tamen sunt ab hac generali
regula Beneficiorum in Curia vacantium non-
nulla , quæ etsi in Curia vacare contingat , non
propterea censentur Pontifici reservata. Hu-

jus excepti generis sunt Beneficia Jurispatronatus laicalis , ut tradit Gloss. in cap. licet 2. de præb. in 6. v. collatio quia illis non solet Papa facile derogare , ut colligitur , ex reg. 42. cancellariæ. Item Beneficia regularia , ex eadē glos. ibid. Item Beneficia parochialia vacantia sede vacante , ne ipsorum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre ; imò ex eadem ratione , & vacantia vivente Pontifice , si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum , ex textu expresso in cap. si Apostolica 35. eod. in 6. quam exceptionem pro eadem circumstantia locum habere etiam in iisdem parochialibus Beneficiis ex alio quolibet capite reservatis , quamvis non in devolutis , tradiderunt Gonz. de mensib. & alternat. §. 5. proœm. à n. 138. & Garz. de ben. p. 5. §. 1. nu. 104. Demum ejusdem generis excepti sunt illorum Beneficia , qui in loco , ubi degit Curia , originem , seu domicilium habentes moriuntur , ita ut ibidem non morarentur occasione Curiae , & Curiales non essent , ut habetur expressè in c. præsenti 34. eod. in 6.

7. Secundò aliæ plures reservationum species continentur in regulis Cancellariæ , quas singuli Pontifices initio Pontificatus sui edere solent , in quas fusè scriperunt Mandosius , Gonzal. Joann. à Chokier , Garz. p. 5. de beneficiis. Castrop. in tract. 13. de benefic. disp. 2. pun.



17. & seqq. eas explicat, quæ pertinent ad reservationem Beneficiorum quas etiam attingit Azor. p. 2. lib. 6. cap. 34. Nobis studio brevitatis satis sit, easdem regulas reservatorias breviter indicasse, pro ut illas edidit SS. D. N. Innocentius XII.

8. In prima regula reservantur ea omnia Beneficia, quæ olim reservata fuerant in extray. ad regimen. 13. & in extrav. execrabilis 4. de præb. inter comm. quibus additur in regula reservationem procedere quoad Beneficia Officialium Sedis Apostolicæ, quamvis tempore obitus Officiales esse desierint, & quamvis Beneficia assecuti non fuerint tempore officii, sed post dimissum Officium, & quandocumque. Extenditur quoque ibidem reservatio ad Beneficia tam obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarii aliquique Collatores contra decreta, & formam Concilii Tridentini disponuerint, & in futurum disponent.

9. In secunda regula reservantur generatim omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primitiales, Archiepiscopales, Episcopales, necnon Monasteria omnia Virorum, valorem annum ducendorum florenorum auri excedentia, qui excessus debet in litteris exprimi. Ubi ea viorum Monasteria intelligenda esse, quæ vel Monachis sunt destituta, vel commendari solita, tradit Mandosius. Item Beneficia omnia

ad quorumcumque Collatorum, & Collati-
cum dispositionem quamcunque (non tamen
ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam
ad alterius præsentationem, vel electionem)
pertinentia, quæ post illorum obitum, aut post
Ecclesiarum, seu dignitatum dimissionem, sive
missionem, usque ad provisionem authorita-
te Apostolica faciendam, & adeptam à Succes-
sore, pacificam possessionem, vacare contingat.

10. In tertia regula decernitur, ut si alicui
beneficium præsertim Curatum, aut persona-
lem residentiam requirens provideatur ab A-
postolica Sede, nulla facta mentione alterius
beneficii incompatibilis, quod antecedenter
habebat, idemque beneficium incompatibile
resignet sive dimittat in manibus Sanctitatis
Suæ, aut quorumlibet aliorum ante assecu-
tionem beneficii ita provisi, in fraudem Apostoli-
cæ reservationis, vi cuius beneficium incompati-
bile per assencionem, & possessionem secun-
di ipso jure vacat, & est reservatum Summo
Pontifici per cit. extrav. execrabilis; in eo casu
tum beneficium provisum, tum beneficium re-
signatum vacare censeatur ac reservatum sit
Summo Pontifici.

11. In quarta regula reservantur generaliter
Dignitates Majores post Pontificales in Cathe-
dralibus Metropolitanis, Patriarchalibus. Item
principales Dignitates in Collegiatis communi-

zisti-



æstimatione excedentes valorem 10. floreno-
rum auri. Item Priorarus, Præposituræ & a-
liæ Dignitates conventuales (perpetuæ , ut ex-
plicat Mand.) ac præceptoriae generales Ordin-
um quorumcumque (quarum electio non fit
à Religiosis simul congregatis , ut ex pluribus
explicat Castrop. p.2. tract. 13. de benef. disp. 2. pun.
19. n.6.) non tamen Ordinum Militarium. De-
mum quæcumque beneficia, quæ familiares , &
commensales Cardinalium nunc viventium , &
qui erūt, imo, & ipsius Pontificis dum Cardinalis
esset, durante familiaritate obtinebant, aut ob-
tinent, aut obtinebunt, etiamsi ab ipsa familia-
ritate per obitum Cardinalium eorundem vel
aliás recesserint.

12. Per quintam regulam reservantur gene-
raliter omnia beneficia Ecclesiastica , quæ
Collectores , & Subcollectores fructuum Ca-
meræ Apostolicæ debitorum , durante hoc eo-
rum officio obtinebant , aut ad quæ jus habe-
bant.

13. Per regulam sextam reservantur bene-
ficia quorumcumque Curialium , quos dum
Curia de loco ad locum transfertur , eam se-
quendo , decedere contigerit in loco quovis
quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

14. In regula septima reservantur Beneficia
Cubiculariorum Summi Pontificis , etiam ho-
noris nuncupatorum , & Curforum suorum.

Sub qua reservatione comprehenduntur etiam Cubicularii qui sunt extra muros, & ita honoris causa nuncupati, ut declarat Mandosius.

15. In regula octava reservantur Canonici-tus, Præbendæ, Dignitates, Personatus, & Officia in Ecclesiis S. Jo. Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe. Item Beneficia quæcumque ad collationem, vel quamvis aliam dispositionem Cardinalium à Rom. Curia absentium, ratione Episcopatum suorum, vel Titularum, sive Ecclesiarum Cardinalatus spectantia, tam in Urbe, quam extra Urbem, quamdiu absentia illorum duraverit, vacantia aut vacatura.

16. In regula nona reservantur Beneficia qualitercumque aliter quam per resignationem vacantia in mensibus Apostolicis, videlicet Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris, relictis quatuor mensibus pro Ordinariis, nempe Martio, Junio, Septembri, Decembri: exceptis Cardinalibus, aut aliis sub certis Concordatis comprehensis. Similique decernitur, ut in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis tunc vacantibus etiam mortu proprio sient, de mense, in quo vacaverint dispositivè mentio fiat; alioquin gratiæ nullæ sient. Patriarchis tamen, Archiepiscopis, & Episcopis personaliter in suis Ecclesiis re-fiden-



sidentibus conceditur petita alternativa sex
mensium discretorum ad conferenda Bene-
ficia, quæ ad liberam ipsorum dumtaxat, & ab
aliis independentem dispositionem pertinent
ita ut scilicet Januarius pertineat ad Summum
Pontificem, Februarius ad Episcopum, Martius
ad Pontificem, Aprilis ad Episcopum, & sic al-
ternative quoad reliquos menses. Super hanc re-
gulam fusè scripsit Hieronymus Gonz. in præ-
claro opere, quod inscripsit ad regulam octa-
vam Cancellariæ, quia hæc regula olim erat
octava, sed postea per additionem ejus, quæ mo-
do tertia est, factam à Greg. XV. evasit nona.

17. Fusior harum omnium regularum expli-
catio peti potest à citatis Authoribus. Sunt, &
quædam aliæ in specialibus aliquorum Pon-
tificum Constitutionibus reservationes statutæ,
quæ videri possunt apud Castrop. in cit. *diss. 2.*
p' 24.

T I T. XIV.

De libera collatione Beneficiorum quoad inferio- res collatores.

I. **I**Nfra Summum Pontificem primus Bene-
ficiarum collator de Jure communi est Le-
gatus Pontificius; non tamen omnis sed solum
Cardinalis qui Legatus à latere dicitur: Lega-

ti enim Nuncii , & Legati nati , quantumcumque plenam Legationem obtineant , ex ipsius legationis munere nullam habent conferendi beneficia potestatem , nisi aliunde eis specialiter committatur , ex cap. 1. de Off. Leg. in 6. At Legatus à latere potestatem habet ad omnia beneficia in sua provincia vacantia , quæ Ordinarius conferre potest , cum eoque concurrit , & datur locus præventioni , eo proportionaliter modo , quo supra dictum est Papam concurrere cum Ordinario : quidquid fit utrum idem Legatus possit etiam ea beneficia conferre , quæ vacare contingat in mensibus Ordinarii alternativa gaudentis , de quo est quæstio inter Authores , circa quam videlicet potest Garz. p. 5. de benef. cap. 3. a. n. 45.

2. Ea Legati à Latere potestas extenditur quoque ad ea suæ Provinciæ beneficia , quæ ad Sedem Apostolicam sint devoluta , ut colligitur ex c. Venerabilis 37. de Præb. & tradit Gloss. in c. 1. de Off. Leg. in 6. v. ampliori ; quoniamvis non ad ea , quæ Sedi Apostolicæ sint reservata , ut tradit communis sententia arg. c. Quod translationem. 4. de Off. Leg. Item extenditur ad beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici , quæ conferre potest etiam absque consensu Patroni , ut constat ex c. Dilectus filius 6. eod. & ex c. Cum dilectus 28. de jurepatron. Secus accidit in beneficiis Jurispatronatus laici ex eod. cap. Cum dile-



dilectus, & juxta probabiliorem sententiam etiam in beneficiis Jurispatronatus mixti: supposito tamen quod Juspatronatus Laico competit non ex præscriptione vel privilegio, sed ex Ecclesiæ fundatione, ædificatione, vel dotazione, cui juri difficile derogatur, ne laici avertantur à fundandis, ædificandis, vel dotandis Ecclesiis ut ex pluribus limitat Garz. de Ben. p. 5. c. 3. n. 72.

3. Infra Legatum à latere, alii quoque sunt Ordinarii beneficiorum Collatores, inter quos de jure communi primum locum obtinent Episcopi quoad beneficia suæ diæcesis non reservata c. Ex frequentibus 3. de Institut. & c. Ordinarii 3. de off. Ordin. in 6. Quidquid sit utrum ea beneficia conferre possint non nisi cum consensu, aut consilio Capituli, aut etiam non expectato tali consensu, vel consilio, pro qua re est attendenda diversa locorum consuetudo, ratione cuius potest etiam beneficiorum collatio ad solum Capitulum pertinere, irrequisito Episcopo, ut constat ex c. Cum Ecclesia Vulterana 31. de elect. aut ad alias inferiores, puta ad Abbates, aut Piores, ex c. fin. de Institut. & clem. 1. de Suppl. neglig. Prælator.

4. Omnibus his beneficiorum collatoribus, de quibus hactenus in hoc titulo dictum est, certæ sunt leges pro legitima collatione sancitæ. Primo enim conferre debent gratis, hoc est nul-

lo accepto pretio, præmio , seu mercde, c. Si quis objecerit. 7.1. q.3. aliisque juribus; alias Simonia committitur. c. Salvator 8. ead. can. & q. & collatio invalidatur, extrav. 2. De sim. inter comm.

5. Item conferre debent absque ulla conditione suspensiva arg. c. in electionibus 2. De elect. in 6. juncta ibi Glos. v. incerta , & sine limitatione ad certum tempus, sed in perpetuum, ut colligitur ex c. Sanctorum 2. dist. 70. ac proinde beneficiorum collatio est de genere actuum legitimorum , qui neque conditionem recipiunt neque diem cap. Actus legitimi 50. de reg. Jur. in 6.

6. Præterea conferre tenentur integrè , & sine diminutione , undè ipsis non licet uni tradere beneficium , & simul alteri fructus, aut pensionem reservare , vel unum idemque beneficium in duos beneficiatos dividere, ut constat ex c. unico. ut Ecclesiast. Benef. sine diminut. conferantur.

7. Item beneficium nequit ab ipsis conferri quod de facto non vacet , ne beneficiarius ita provisus de beneficio vacaturo , sumat occasionem captandæ mortis alienæ, ex c.2. & 3. de confess. præb. & recentius ex Trid. sess. 24. de refor. c. 19. ubi prohibentur conferri expectativæ ad beneficia vacatura.

8. Demum in ead. sess. 24. de refor. c. 17. genera-

tims

tim statutum est ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri: hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesiæ, sed etiam ad alia omnia Beneficia, tam sacerdotalia, quæ regularia quæcumq; etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. Quibus adde quæ decernuntur in c. 1. de consuet. in 6. ut videlicet nulli licet, nisi unicum Personatum, vel dignitatem aut Præposituram, sive administrationem, vel Officium perpetuum, quocumque nomine censeantur, cum præbenda insimul absque dispensatione in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere. Quod si à quoquam secus præsumptum fuerit, irritum sit omnino.

9. Ne autem vacantia Beneficia cum eorum dem detrimento diu maneant in suspenso, prædictis collatoribus tempus sex mensium indulgetur in c. 2. De concess. præb. quod incipit à die quo habita est notitia vacationis, ex c. Quia diversitatem 5. eod. intra quod si beneficium prævidere negligenter omiserint, privantur pro ea vice potestate providendi, eademque potestas ad proximum eorum superiorem devolvitur, ex eod. c. 2. De concess. præb. &c. Ne pro defectu

41. *De elect. Nisi tamen Ecclesia aliqua Cathedralis, aut Regularis providenda sit per electionem aliquorum, pro quo casu sanctum est incit. c. Ne pro defectu, ne ultra tres menses electione differatur, intra quos si celebrata non fuerit, earum provisio devolvitur non ad proximum superiorem, ut olim permittebatur in eod. c. Ne pro defectu, sed ad Summum Pontificem, ut tradit Laym. ibi num. 6. secundum jura recentiora statuta praesertim in extrav. Ad reg. men 13. de præb. inter com. in regulis Cancelleriarum, & in concordatis Germaniarum, ubi provisio talium Ecclesiarum, aut saltem confirmatio reservata est Summo Pontifici. Eundem quoque trium mensium terminum servandum esse, ubi Ecclesiarum Collegiatæ provideri debeat Prælatus habens ordinariam, & generalem jurisdictionem in Clericos suarum Ecclesiarum tradit idem Laym. in cit. c. Ne pro defectu num. 2. post Panor. ibid. num. 5. & post. Glos. in c. Quia propter 42. de elect. v. Ecclesiis viduatis.*

T I T. X V.

De Institutionibus, & Jure patronatus.

1. *Dicitum est in precedentibus titulis de collationibus Beneficiorum procedentibus à libera voluntate Pralati agendum modo est de iis*



ius provisionibus, quæ fieri debent ad præsentationem Patroni, hoc est illius, qui in iisdem Beneficiis jus obtinent patronatus, cuius generis provisiones proprio vocabulo Institutiones dicuntur, quique ita Beneficium à Prælato consequitur, dicitur institui.

2. Est autem Juspatronatus potestas præsentandi instituendum ad beneficium vacans, ut explicant communiter Doctores post Host. in Summa *De Jurepatronatus*. Nomine præsentationis hic intelligitur legitima exhibitio personæ per Patronum facta Episcopo, vel alteri ad quem Institutio pertinet, ut eidem personæ de Beneficio vacante provideat. Tale jus sive potestas præsentandi, cum sit ordinata ad institutionem beneficiarii, est spirituali annexa; unde fit ipsam per se absque labe simoniaca vendi non posse, ex c. de *Jure 16. de jurepatronatus*. Hoc tamen non obstante convenire ipsam posse etiam laicis Canonica æquitas statuit in quandam ostensionem gratitudinis.

3. Sciendum enim est, Juspatronatus non aliter acquiri in aliqua Ecclesia, beneficio, aut Capella, quam ipsam de novo fundando, & construendo, aut jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis bonis competenter dotando, ut decernitur à Trid. *sess. 14. de refor. c. 12.* cui consonat apud *Glos. in c. Piæ mentis 26.16. q. 7. versus ille : Patronum faciunt*

ciunt dos, ædificatio, fundus: dummodo tamen Diœcesani assensus interveniat, sine quo Ecclesiam ædificans, Juspatronatus non acquirit, ex c. Nobis 25. de Jure patronatus. Quidquid sit utru olim etiam aliter acquiri potuerit, quod nunc non procedit post illud decretum Tridentini quodlibet aliud Juspatronatus abrogantis, exceptis tantummodo patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura Imperii in dominiis suis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt, prout excipiuntur ab eod. Trid. sess. 25. de refor. cap. 9.

4. Inde fit Juspatronatus dividi in laicum, Ecclesiasticum, & mixtum. Laicum est quod alicui competit ratione proprii patrimonii, ex cuius bonis Ecclesiam fundaverit, & construxerit, seu eandem indotatam sufficienter dota verit. Ecclesiasticum dicitur, quod ex bonis Ecclesiæ comparatum est, vel alicui competit ratione Ecclesiæ, seu quod Ecclesiæ, aut alteri pio loco donatum sit à laico. Mixtum denique est, quod partim ratione patrimonii, partim ratione Ecclesiæ competit, seu quod ex Patronis Ecclesiasticis, & laicis coalescit.

5. Multiplex autem jus in Jurepatronatus includitur in favorem Patroni, quod explicatur



tur iis versibus apud Glos. in c. Nobis 25. de jurepatr. Patrono, debetur honor, onus, utilitasque: Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus. Sensus est, Patrono deberi præcipuum in Ecclesia locum, ipsum habere onus, seu officium protegendi Ecclesiam ejusque bona tuendi, habere jus præsentandi ad beneficium vacans, demum si forte ipse, aut ejus filii ad summam inopiam, & egestatem pervenerint, debere sublevari, ac sustentari ex bonis Ecclesiæ à se fundatæ, ut constat ex eod. c. Nobis.

6. Quod attinet ad actum præsentandi, qui inter numerata potissimum attenditur, non ita concessus est Patrono, ut nullis limitibus per Sacros Canones sit circumscriptus. Primo enim fieri debet intra certum tempus ab eodem jure concessum, ne videlicet beneficia diu maneant Rectore destituta quemadmodum supra dicebatur, ubi de tempore ad conferenda beneficia inferioribus Ordinariis concessio sermo fuit; quod pariformiter procedit tum in Ecclesiastico, tum in laico Patrono: cum eo tamen inter utrumque discrimine, quod Ecclesiastico tempus sex mensium incipiens à die notitiae vaccinationis beneficij; at Laico tempus quadriimestre concedatur ad præsentandum, ex c. unico de Jurepatron. in 6. itaut si uterque Patronus intra legitimum illud tempus neminem negligenter præsentaverit, devolvatur collatio beneficij

ad

ad illum Superiorem, ad quem Institutio pertineret. Idem juris est, si circa idem Beneficium sint plures Patroni, & intra prædictum tempus legitimum de persona instituenda non concordaverint, nec possit sine scandalo institui, quem major numerus Patronorum, repugnantibus aliis, præsentet: in tali enim casu debet Prælatus Ecclesiam ordinare, sicut melius eam secundum Deum judicaverit ordinandam; & id ipsum facere deberet, si de Jurepatronatus esset lis inter aliquos, & cui competit, intra quatuor menses non fuerit definitum. ex c. *Quoniam 3. de Jurepatr.*

7. Ista temporis inæqualitas inter Ecclesiasticum, & Laicum Patronum ad præsentandum, fundamentum habet in alio inter utrumque Patronum discrimine, quod Patronus Ecclesiasticus postquam aliquem idoneum præsentavit, non potest etiam intra suum tempus legitimum alium præsentare, ex c. *Cum autem 24. & c. Pastoralis 29. eod. tit. secus autem Patronus laicus, cui non præsumuntur ita cogniti mores Clericorum: æquum igitur fuit hanc Juris diversitatem in Ecclesiastico Patrono compensare per longioris temporis concessionem.*

8. Secundò fieri debet præsentatio de persona, quæ Officio sit idonea, & non incapax institutionis, ut colligitur ex c. *Significasti 18. eod.*

G.C.



&c. Cum vos 4. de off. Ordinar. Si secus fiat, & usque ad ultimum terminum temporis ad præsentandum concessi, perfistatur in præsentatione indigni, poterit Superiorlibere conferre beneficium personæ idoneæ cui judicaverit, tamquam si toto tempore legitimo nulla præsentatio facta esset, quia perinde est in idoneum præsentare, ac nullum, ut colligitur ex c. 2. de translat. Episc. & ex c. Tha 12. de Cler. non resid. Utrum autem in eodem casu præsentationis indigni scienter factæ, privetur etiam Patronus pro ea vice potestate præsentandi, & utrum hac in referi debeat aliqua distinctio inter Ecclesiasticum, & Laicum Patronum, est quæstio à Canonicis agitata, & varie à variis resoluta, ut vide re est apud Panor. in cit. c. Cum vos n. 5. aliosque ab ipso relatios.

9. Sed neque Patronus præsentare se ipsum, ex c. Per nostras 26. de Jurepatron. ubi dicitur, nullum se posse ad personatum alicuius Ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studiis, & meritis adjuvetur. Quæsitum etiam fuit utrum Pater possit filium alias idoneum præsentare, sumpta ratione dubitandi ex eo quod in jure Pater, & filius censantur quasi una persona, ex l. ult. C. de Impuber. & aliis substitut. adeoque præsentans filium videretur quasi præsentare se ipsum. Hoc tamen non obstante, post Glos. in c. Consuluit 15.

de



de Jurepatron. v. propria authoritate, & in c. Quia Clerici 6. eod. v. filii, docent passim Authores posse filium à Patre præsentari: Pater enim, & filius censentur una persona, non re ipsa, sed per juris fictionem; unde fit, ubi Jus illos pro eadem persona non habet, esse reputandos ut realiter sunt, hoc est tamquam duas personas, & ita in re præsenti contingit, ut docet Abb. Panor. in cit. cap. Consuluit nu. 3.

10. Quæstionis est utrum Patronus ex duobus aut pluribus ejusdem loci, aut familiæ dignis teneatur præsentare digniorem? Hac de re fusè agit Cæsar Lambertin. *De Jurepatronat. par. 1. lib. 2. q. 10. art. 3.* ubi videri potest. Videatur etiam Azor. *par. 2. li. 6. c. 21. q. 5.* Castrop. *par. 2. tractat. 13. disp. 2. pun. 11. num. 10.* aliquæ ab ipsis citati.

11. Post præsentationem à Patrono factam sequitur Institutio, quæ de jure communi pertinet ad Episcopos, ut post antiquiora Jura dcernit Synodus Trident. *sess. 14. de refor. cap. 12.* quamvis nonnumquam possit ad inferiores pertinere, in quo casu instituendus examinari prius debet ab Episcopo: alioquin Institutio ab inferioribus facta irrita est, & inanis, *ex eod. Trid. sess. 25. de refor. c. 9.* Institui autem debet illa persona, quæ fuerit præsentata, dummodo sit idonea, itaut si Episcopus illam negligat, & absque causa legitima beneficium alteri

alteri pro suo libito conferat sine Patrono , ea collatio irritanda sit , ut tradit Host. teste Lambert. ltb. 2. de Jurepatr. par. 3. q. 2. art. 2. vel juxta probabiliorem sententiam sit irrita ipso jure, ut affirmat Joan. And. in c. 2. de Off. Vic. in 6. teste Panor. in c. Illud. 5. de Jurepatr. n. 2. fundamento desumpto ex c. Decernimus. 32. 16. q. 7. Sed neque potest Episcopus præsentationem à Patrono factam malitiōsè repellere ad effectum ut Patronus alium præsentet; si enim id accidat, quamvis futura sit valida ejus institutio , qui fuerit secundo loco præsentatus à Patrono laico; attamen Episcopus, qui malitiōsè recusavit primum admittere , tenebitur eidem provide-re in alio competenti Beneficio, ut scilicet in eo puniatur , in quo ipsum non est dubium deli-quisse , juxta textum expressum in c. Pastoraliſ 29. de Jurepatr.

12. Secus accidit si Patronus laicus pro sua li-bera voluntate plures ad idem beneficium præ-sentaverit , quod fieri ab ipso posse, dictum est supra n.7. In quo casu liberum erit Episcopo eum instituere ex illis pluribus , quem malueris sup-posito quod sint æque digni & idonei , ex c. Cum autem 24. de Jurepatr. quia scilicet in eo ca-su, quilibet instituatur, semper servatur illæsum Jus Patroni, qui variando nominationem, non censetur revocare priorem, sed solum alteram priori cumulare, ex eod.c. Cum autē in iis verbis

eo non refutato, ut ibi notat Abb. n. 2. Quod si ex illis pluribus præsentatis unus est alio dignior; tunc digniorem esse ab Episcopo instituendum, docet probabilior sententia, quam in loco citato tradit idem Panor. aliquique plures, quos citat, & sequitur Castrop. part. 2. tract. 13. disp. 2. pun. 9. num. 3. arg. c. ult. dist. 63. ubi Metropolitano præcipitur præferre electionem dignioris, cum vota eligentium in duas se divisorint partes, cuius Canonis ratio in eo sita est, quod in æquali jure electionis eum præferri debeat qui Ecclesia utilior futurus est quæ ratio æque procedit in nominatione.

13. Juspatronatus semel habitum pluribus modis amitti, aut ab uno ad alium transferri potest. Primo enim amitti potest casu, si Ecclesia patronata incendio consumpta fuerit, aut terremotu, aut vitio suo corruerit, arg. §. fin. *Instit. de Usufruct.* Quod tamen limitatur à Panor in c. *Quoniam 3. de Jurepatr. nu. 11.* ita ut intelligi debeat de Patronatu in constructione fundato, non autem de Patronatu fundato in dotatione, vel fundatione: unde permanente dote vel fundo, si contingat Ecclesiam collapsam iterum ab alio ædificari, docet non solum acquiri jus Patronatus eidem ædificatori, sed etiam priori dotatori, vel fundatori inspatronatus conservari.

14. Secundo amittitur Juspatronatus in
pcc:

pœnam, si Patronus Rectorem, vel alium Clericum ipsius Ecclesiæ, per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumperit: in quo casu tam ipse, quam ejus hæredes jurepatronatus privantur, & præterea illius posteritas usque ad quartam generationem prohibetur admitti ad Collegium Clericorum, & ad quamlibet prælationem in domibus regularibus, nisi fuerit misericorditer dispensatum , juxta tex- tum in c. In quibusdam penult. de pœnis. Iten ex Triden. sess. 22. de refor. c. 11. si Patronus per se, vel per alios, quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in Ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumperit , seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipientur; ultra pœnam anathematis , eo ipso privatus est etiam jure patronatus. Demum idem Juris est si Patronus incidat in hæresim: in confisratione enim bonorum, cui subjacent hæretici ex c. Vergentis 10. de hæreticis, amittitur etiam jus patronatus.

15. Tertio Juspatronatus amittitur, aut ab uno ad alium transfertur ex libera voluntate Patroni, multipliciter. Primo per liberam cessionem, si videlicet laicus Patronus suum jus

G

depo-

deponat, & conferat ipsi Ecclesiæ, ex c. unico ad jurepatr. in 6. Secundo si Patronus patiatur Ecclesiam, seu Cappellam patronatam commutari in Ecclesiam Collegiatam, in quo casu privatitur jurepatronatus quoad facultatem praesentandi, quia Ecclesiæ Collegiatæ providetur mediante electione, cui se non immiscet Patronus, quamvis eidem reliqua patronatus jura salva permaneant, ex c. nobis 25. de jurepatr. Tertio denique Juspatronatus transfertur mediante donatione, permutatione, venditione, & testamento sive jure hereditariæ successionis, ut tradit Innoc. in rubr. de jurepatron. Glos. in c. piamenit 26. 16. q. 7. aliique communiter.

16. Donatione transferri posse constat ex c. ex insinuatione, 14. de jurepatr. sive fiat in favorem alicujus Ecclesiæ aut loci pii, sive fiat in favorem laici, sive in favorem alicujus Clerici, causa ipsius, non Ecclesiæ. Id tamen discriminis inter diversas ejusmodi donationes assignant pro re praesenti Doctores, quod si Juspatronatus donetur alicui Ecclesiæ seu loco religioso, ea donatio valeat, quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit, juxta textum expressum in c. unico de jurepatr. in 6. At si laico donetur, aut etiam Clerico causa ipsius, non Ecclesiæ, variant Doctores. Innocentius enim, aliique tacito nomine relati à Panor. in c. illud 5. de jurepatr. nro 5. docuerunt neque tunc requiri consensum Epis-



Episcopi; at idem Panor. ibidem cum Host. Jo-
an. Andr. & Arch. docent in eo casu sine con-
fensu Episcopi non valere donationem. Videri
potest Azor. p.2.lib.6. cap.20.q.5.

17. Venditione etiam transferri, desumitur
ex c. cum s̄eculum 13. eod. juncta ibid. Glos. v.
emptorum, quod tamen intelligi debet non ita
ut vendatur directe, & per se, quia sic vendi ne-
quit Juspatronatus absque simonia, ut supra
dictum est ex c. de jure 16. eod. sed indirecte, &
cum universitate bonorum, veluti si villa ali-
qua vendatur, cui annexum sit Juspatronatus:
dummodo tamen non augeatur pretium intui-
tu Juspatronatus annexi, nam sic quoq; com-
mitteretur simonia, juxta sententiam, quam
communem esse dicit Castrop. p.2. tract. 13.
disp.2.punct.4.num.10.videri potest Azor. in cū.
cap.20.q.8.

18. Permutatione ut transferri possit, requi-
ritur, ut cum alio spirituali permuteatur, ex c. ad
questiones 6. & c. ult. de rerum permutatione. cum jus-
patronatus sit Jus, vel spirituale, vel saltem spi-
rituali annexum, ut supra dictum est. Quod si
in permutatione Juspatronatus in laicum trans-
feratur, requiri quoque consensum Episcopi,
docet Azor. ibid. q. 7.

19. Jure demum hæreditario transferri Jus-
patronatus, sumitur ex c. quoniam 3. de jurepa-
tron. Clem. 2. eod. aliisque juribus: idque locum
habet non solum in hæredibus sanguinis, sed

& in quibusvis hæredibus quamvis extraneis
ut post glos. in c. filii 31.16. q.7. v. propinquis, doce-
Panor. in c. i. de jurepatr. num. 2. aliquique passim.
Inde fit, quod si plures succedant hæredes, cum
Jus patronatus sit jus incorporale adeoque di-
vidi nequeat, ex Glos. in c. i. de jurepatr. v. non
debeat, transfertur in solidum ad quemlibet il-
lorum, etiamsi non sint hæredes ex æqua por-
tione instituti, unde illorum cuilibet conveni-
ent omnes Jurispatronatus prærogativæ, præ-
ter jus nominandi, quod ita erit apud omnes
commune, ut unus per se tantum nominare non
possit, sed omnes communiter, & per modum
unius, juxta textum expressum in Clem. 2. de ju-
repatr. nisi tamen ipsi inter se liberè conveniant
de Clerico à se alternis vicibus præsentando,
prout ipsis conceditur in ead. Clement.

20. Quæstionis olim fuit, an in Jurepatrona-
tus succedant hæredes per stirpes, an per capi-
ta? Nunc tamen ea quæstio resoluta est in cit. cle-
ment ubi decernitur, ut succedant non per capi-
ta, sed per stirpes: ut puta si Titio Patrono
succedant tres filii, Caius, Sempronius, & Seius,
quibus mortuis unus Nepos relinquatur ex Ca-
jo, duo ex Sempronio, tres ex Seio; tunc in Ju-
repatronatus, quod Titius avus fundavit, suc-
cedunt duo filii Semproni non tamquam duo
Patroni, sed tamquam unus, & tres filii Seji simi-
liter succedunt tamquam unus: quia videlicet

succedit



succedunt non ut suas personas referunt, sed ut parentum suorum.

21. Quæstionis etiam est, an Juspatronatus transferri possit titulo legati? De hac re agit Panor. in c. cum sæculum 13. de jurepatr. n. 6. ubi cum Joan. Andr. resolvit posse transferri, quia legatum est quædam donatio à testatore facta, ex §. 1. instit. de legat. adeoque sicut Juspatronatus donari potest, ita & posse legari. Censet tamen, si tale legatum fiat in favorem laici, requiri consensum Episcopi, sicut in c. illud 5. eod. n. 5. docuerat in donatione requiri: jura enim quæ concedunt Juspatronatus in successione transferri, loquuntur communiter de hæredibus, non autem de legatariis, ut in c. filiis 31. 16. q. 7. & c. 1. de Jurepatr.

T I T. XVI.

*De renunciatione, & permutatione Beneficiorum,
ac de pensionibus.*

1. Dicitum in superioribus est quomodo Beneficia acquirantur à Clericis; dicendum supereft quomodo ab ipsis eadem Beneficia dimittantur: cum autem dupli via id præstari possit, videlicet renunciatione, & permutatione, de utraque agendum breviter hic est, ut tractatui beneficiario terminus imponatur.

G 3

2. Re-

2. Renunciatio Beneficii est spontanea Beneficii dimissio legitimè facta, ex qua sit, ut Beneficium vacet, adeoque alteri possit à Collatore conferri. Ita colligitur ex Rebus. in praxi benef. p.3. tit. de resignat. Azor. p.2. lib. 7. cap. 18. q. aliisque passim.

3. Dividitur in tacitam, & expressam. Renuntiatio tacita est, cum quis aliquid agit, quod vel ex natura rei, vel ex statuto Juris opponitur retentioni beneficii: in quo casu, etiamsi expressis verbis Clericus non renunciet beneficio attamen per consequentiam censetur eidem renunciare, ut contingeret v. g. si aliquis Clericus beneficiarius etiam minoribus tantummodo Ordinibus institutus Matrimonium contraheret, aut in Religione solemniter profiteretur, aut miles factus arma caperet, & in bello pugnaret, & sic de reliquis, quibus actibus est annexa de Jure vacatio beneficii, ut constat ex c. 1. de clericis conjug. c. Beneficium 4. de regular. in 6. aliisque relatis à Glos. in cap. fin. de clericis non residentib. v. redierint. Renunciatio expressa est, per quam expressis verbis, aut scripto juxta formam à jure statutam, coram Ordinario dimititur beneficium.

4. Ejusmodi expressa renuntiatio subdividitur in puram, seu simplicem, aut absolutam, & in conditionalem. Renunciatio primi generis est, quæ sit absque ulla conditione, vel pacte,

in



in quo casu Collator beneficij est liber ad illud conferendum cui voluerit. Renunciatio non pura, seu conditionalis est quæ sit adjecta aliqua conditione, ut puta sub conditione annuæ pensionis solvendæ, aut sub conditione quod beneficium resignatum conferatur certæ personæ, & non aliter, cujus generis resignatio vocari solet resignatio in favorem alterius.

5. Ad valorem cujuscumque renunciationis requiritur consensus Superioris Ecclesiastici, ex c. Admonet 4. de renunciat. Sicut enim sine Superioris authoritate nemo potest Ecclesiasticum beneficium obtainere juxta c. i. de reg. jur. in 6. ita sine eadem nemo potest illud dimittere: quia *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, c. i. de reg. jur.

6. Superior autem, cujus authoritas ad renunciationem requiritur, ille est, non qui præcisè habet potestatem instituendi beneficiatos, seu conferendi beneficia; sed qui facultatem habet eosdem destituendi, seu deponendi adeoque supra ipsos jurisdictionem habet, ut post Innoc. docet Glos. in Clem. unica de renunciat. v. manibus. Renunciatio enim habet vim destitutio-
nis, siquidem beneficiatus mediante renuncia-
tione definit esse beneficiatus: adeoq; nemo po-
test renunciationem admittere, nisi qui potest
Clericum destituere, seu beneficio privare.

7. In particulari autem ejusmodi Superior

est in primis Summus Pontifex, qui quaslibet potest quorumlibet beneficiorum renunciationses admittere, cum certi juris sit ad ipsum pertinere plenariam omnium beneficiorum Ecclesiasticorum dispositionem, c. 2. de præb. in b. Alii inferiores Prælati, quales sunt Episcopi, possunt admittere renunciationses puras, & absolutas beneficiorum illorum, quorum destitutio ad ipsos pertinet: idque extenditur à Flam. Parisio lib. 7. de resig: q. 14. n. 6. & ab Azor. p. 2. lib. 7. c. 25. q. 9. etiam ad beneficia Summo Pontifici reservata, quæ tantummodo reservata sunt quo ad collationem, unde Ordinarius quamvis non possit illa conferre, non tamen prohibetur Clericos delinquentes ipsis privare, adeoq; nec prohibetur ipsorum resignationses admittere. At indiscriminatim admittere nequeunt renunciationses conditionales, quæ scilicet fiant in favorem certæ personæ, aut sub conditione annuæ pensionis solvendæ: quia ejus generis renunciationses posse fieri solum in manibus Summi Pontificis, docet communis sententia apud Rebus. in praxi tit. de renunciat. condition. & apud Parisium lib. 6. de resignat. sumiturque etiam ex expressa Constit. B. Pii V. quæ est 58. in Bullar. & incipit *Quanta Ecclesiæ Dei*, ubi etiam causæ declarantur, quibus duntaxat intervenientibus admitti possint renunciationses puræ, & absolute ab Episcopis.

8. Quod

8. Quod si ex autoritate legitima contin-
gat fieri aliquam ejusmodi renunciationem in
favorem alterius, & non aliter, debet Superior
illam admittens conferre beneficium ei, in cu-
jus favorem fuerit resignatum, supposito quod
sit idoneus juxta Sacros Canones, ut tradit Re-
buff. loco cit. n. 4. Resignatum enim fuit sub ea
conditione, adeoque ea conditione non adim-
pleta, non censetur facta resignatio: quia actus
conditionalis effectum non habet, nisi conditio
sub qua factus est adimpleatur, ex l. cedere diem
213. ff. de verbor. signific. & l. sub conditione 16. ff.
de conditione indebiti.

9. Excipi tamen debet casus, in quo resig-
nator infra 20. dies post factam resignationem
moriatur: tunc enim resignatio caret omni va-
lore, & beneficium censetur vacare per obitum,
ex reg. 19. Cancellariae Apostolicae: ad vitandas sci-
licet fraudes, & ne disponatur de beneficiis per
modum ultimae voluntatis, sicut disponitur de
bonis patrimonialibus.

10. Quæstionis est utrum ille, qui Benefici-
um resignat in favorem alterius, teneatur assu-
mere digniorem, an satis sit assumere dignum?
Sed de hac re videri potest Gabr. Vasq. opusc. de
beneficiis cap. 2. §. 3. dub. 7. Azor. p. 2. lib. 6. cap. 15.
q. 10. Castrop tract. 13. de beneficiis Ecclesiasticis
disp. 2. punto. 11. n. 11. aliique ab ipsis citati.

11. Hactenus dicta de resignationis validita-

te procedunt, supposito quod aliunde particu-
laris aliqua circumstantia beneficii resignatio-
nem non impedit, cuius generis circumstan-
tia inter reliquas una est, si agatur de beneficio,
cuius titulo sit aliquis ordinatus in sacris, de hoc
enim expresse decernitur in Trid. sess. 21. de refor.
cap. 2. ut resignari non possit, nisi facta mentio-
ne, quod ad illius beneficii titulum sit promo-
tus: neque ea resignatio admittatur, nisi con-
stituto, quod aliunde vivere commode possit: &
aliter facta resignatio nulla sit. Item ejusdem
generis circumstantia est de stylo Curiæ pro be-
neficiis residentiam postulantibus, si nondum
per triennium possessa fuerint, in quo casu eo-
rum resignatio non admittitur, si præsertim sit
in favorem, seu sub reservatione pensionis: un-
de renuncians tenetur declarare tempus, à quo
beneficium habuit, Paris. de resign: lib. 3. q. 2. nn.
21. Garz. de benef. II. p. cap. 3. à n. 45. quos citat,
& sequitur Castrop. in tract. cit. diss. 5. puncto 2.
§. 5. num. 9.

12. Ejusdem demum generis circumstantia
est, si resignationi in favorem alterius factæ, ad-
misceatur reservatio accessus, regressus, & in-
gressus. nomine reservationis accessus intelli-
gitur illa reservatio per quam alicui reservare-
tur potestas accedendi ad beneficium, seu illius
possessionem capiendi, quam antea non cœpit
ex aliquo impedimento, quo durante interim
bene-



beneficium ab alio possideatur, ut puta si beneficium destinatum puerō, interea conferatur alteri ea conditione, ut puer possit propria auctoritate ad illud beneficium accedere ejusque possessionem capere, postquam pervenerit ad aetatem legitimam. Nomine reservationis regressus venit ea reservatio, per quam renuncianti beneficium ab ipso possessum tribueretur facultas revertendi propria auctoritate ad idem beneficium resignatum, si praemoriatur resignarius. Nomine reservationis ingressus intelligitur ea reservatio, per quam habenti ius, & titulum beneficii, sed nondum ejus possessionem, illudque resignanti, daretur potestas, ut si resignarius praemoriatur, beneficium dimissum ipse propria auctoritate accipiat, ejusque possessionem adeat. Videri potest Rebus. in praxi p. 3. tit. de regressibus.

13. Ejusmodi regressus, & accessus prohibentur expresse à Trid. sess. 25. de refor. 6.7. & recentius à B. Pio V. in Constit. Romani Pontificis providentia edita anno 1571. quæ in Bullario est 134. inter Constitutiones ejusdem Pontificis: ut videlicet de Ecclesia Dei tollatur omnis hæreditatia beneficiorum Ecclesiasticorum successio, simulque libertati provideatur beneficiorum hujusmodi, & ut de persona magis utili, & idonea, prout requiritur, facilius provideri valeat; quæ rationes desumuntur ex ead. cit. Constitut.

14. Resignationem factam subsequi debet promulgatio; seu publicatio, quæ quomodo, & intra quantum temporis facienda sit, videri potest expressè decretum in Constit. Greg. XIII. quæ incipit *Humano vix judicio* & in Bullar. est §5. inter Constitutiones ejusdem Pontificis. Qua de re fuse agit Azor. p. 2. lib. 7.c. 24. Castrop. tract. 13. disp. 5. punto 2. §. 6. aliquie ab ipsis citari.

15. Alter modus quo à Clericis beneficium dimittitur, est permutatio, quæ tunc dicitur fieri, quando duo Clerici sua Beneficia dimittunt, ut alter alterius beneficium consequatur, ut tradunt communiter Doctores in tit. *de rerum permuat.* qua de re tractatum ediderunt Ægidius Bellamera, Fridericus Senensis, Petrus Ubalodus Perusinus, & Petrus Andreas Gambarus.

16. Permutationem hujusmodi permisam esse in Jure Canonico manifestum est tum ex pluribus Juribus sub rubr. *de rerum permut.* tum ex hac tenus dictis de renunciatione, cum permutatio nihil aliud sit quam mutua & reciproca duorum Beneficiorum resignatio facta à duobus beneficiatis, ut Beneficium unius alteri concedatur.

17. Id tamen intelligendum est, dummodo serventur leges pro legitima permutatione præscriptæ. Inter has illa præcipue curanda est, ut propria authoritate non fiat, sed authoritate

Su-

Superioris , ut constat ex supradictis n. 5. alias non solum permutatio esset nulla , sed etiam Simoniacæ , ut tradunt communiter Doctores , Rebuff. in praxi 3. p. tit. de permut. Suar. lib. 4. de Simon. c. 31. aliquique passim , sumiturque ex c. Quæsum 5. de rerum permut. aliisque Juribus; ac præterea uterque ita permutans spoliandus penitus esset in poenam Beneficio juxta textum in c. Cum olim , 7. eod.

18. Alia quoq; permutationis est lex ut non fiat nisi inter duos: prohibita enim est & simonia-
ca species illa permutationis , quam Canonistæ triangularem aut quadrangularem appellant ,
ut puta si Titio tuum beneficium resignes , ut
Titius beneficium suum resignet tuo Nepoti:
eiusmodi enim non tam esset permutatio , quæ
non nisi inter duos esse potest , sed contractus
quidam innominatus Facio ut facias , five Do
ut des qui à Jure Canonico circa spiritualia re-
probatus est , eo quod in spiritualibus interdi-
cta sit omnis pactio , omnisque conventio , ex
c. fin. de Pactis. Ita Garz. 11. p. de Benef. c. 4. n.
22. Azor. p. 2. lib. 7. c. 30. q. 6. aliquique passim.

19. Alia etiam permutationis conditio est ,
ut si permutentur Beneficia inæqualia , excessus
unius non compensetur pecunia aut alio tem-
porali pretio æstimabili , sed tantummodo nu-
da Beneficia permutentur. Quod locum ha-
bet , non solum si excessus sit in dignitate au-

alio spirituali , sed etiam si sit tantummodo excessus in fructibus temporalibus , supposito quod talis excessus sit annexus titulo Beneficii : quia in eo casu interveniret quædam venditio Beneficii , adeoque Simonia committeretur ; nam ut dicitur in cap. Si quis objicerit 7. 1. q. 3. Quisquis horum alterum vendit , sine quo nec alterum provenit : neutrum invenditum derelinquit . Videri potest Suar. lib. 4. de Simon. c. 34.

20. Alia demum permutationis est lex , ut non fiat nisi ex legitima causa , ex c. Quæsum 5. de rerum permut. §. Si autem , qualis tantummodo est aliqua Ecclesiæ necessitas , ut qui uni loco minus est utilis , alibi se valeat utilius exercere , ut tradunt communiter Doctores , ex eod. c. quæsum. Solus igitur favor permutantis , aut privatum ejus commodum tempore non est causa sufficiens approbandi permutationem.

21. Superior autem , cui de jure communi facultas competit approbandi permutationem , est Episcopus ad quem cæteroquin pertineat in iis beneficiis institutio , & destitutio , supposito quod sermo sit de permutatione quæ simpliciter fiat inter beneficia sine adjectione oneris seu pensionis ex alterutra parte ; nam de adjectione pensionis paulò post dicetur. Desumitur hoc assertum ex cit. c. Quæsum in iis verbis Si autem Episcopus , & ex c. unico de re-

ram

rum permut. in 6. ibi in manibus tuis ipsa resig-
nant. Inde sit quod si Beneficia permutanda
reperiantur in diversis diæcesibus, necesse sit ut
ea permutatio ab utroque Episcopo autoritaté
accipiat, ut docet Glos. in cit. cap. unico de re-
rum permut. in 6. v. collationem. Nullus enim
Episcopus disponere potest de Beneficio alienæ
Diæcesis.

22. Quæstionis est, quid hic intelligatur no-
mine Episcopi; & utrum Prælati Episcopis in-
feriores, ad quos cæteroquin pertineat Bene-
ficiorum collatio, & institutio, possint autho-
ritatem permutationi præbere? Communis
resolutio primæ partis est, nomine Episcopi
hic intelligi qui habet jurisdictionem Episcopa-
lem, etiam si dignitatem Episcopalem non ha-
beat, ut post Glos. in Clem. uni. de rerum permut.
v. conferantur tradit Suar. l. 4. de Sim. c. 32 n. 11.

22. Resolutio autem secundæ partis com-
muniōr & magis recepta est, inferiores Præla-
tos quamvis cæteroquin habentes potestatem
Beneficiorū collativam, non posse authori-
tatem permutationi præbere si jurisdictionem
Episcopalem non habeant, nisi titulo præscri-
ptæ consuetudinis id obtinuerint. Videri po-
test Suar. ibid. n. 14.

23. Denique quia nonnunquam contingit
Beneficium aliquod à Clericis dimitti vel per-
mutari ex autoritate Superioris cum reserva-
tio-

tione annuæ pensionis solvendæ , dicendum a
liquid breviter hic est de pensione.

24. Nomine pensionis intelligitur commun
niter à Canonistis certa portio fructuum ex a
liquo Beneficio Ecclesiastico justa de causa ad
tempus detracta & separata , quæ datur alicui
ad vitam ejus commodè sustentandam. Solet
illa aliquando concedi occasione renuncia
tionis aut permutationis , vel ad aliquam li
tem , & controversiam circa Beneficium diri
mendam , vel demum ex eo quod aliquis sit de
Ecclesia aut de Rep. Christiana benemeritus,
cui propterea aliqua pensio designatur.

25. Duplex assignari solet pensionum species.
Alia enim dicitur pensio laica , alia clericalis.
Pensio laica , seu temporalis est , quæ laicis da
tur propter aliquod officium vel obsequium
temporale præstandum ab ipsis , aut aliis præ
stitum. Pensio Clericalis est quæ solis Clericis
datur ut Clerici sunt: eaque est vel simpliciter
spiritualis , qualis est quæ Clericis datur propter
aliquod spirituale ministerium exercendum;
vel mixta , qualis est , quæ Clericatum exigit,
non tamen datur ad spirituale ministerium,
sed ob aliam causam , puta propter Clerici pau
pertatem , senectutem , litis compositionem ,
resignationem Beneficii.

26. Hæc dicta procedunt attento jure anti
quo : at de jure recentiori post Constitut. B. Pii

V.



V. quæ incipit *Ex proximo*, & est 135. in ordine Bullarum ejusdem Pontificis in Bullario, cum omnes Clerici Pensionarii obligentur titulo pensionis recitare Officium parvum B. Virginis, ita ut si recitationem omiserint, peccent & fructus pensionis non faciant suos, quemadmodum ex decreto Concilii Later. sub Leone X. ses. 9. de ref. Curia §. Statuimus & ex cit. Const. B. Pii, omnes Clerici Beneficiati titulo Beneficii tenentur recitare Horas Canonicas; quælibet pensio Clericalis, dici potest spiritualis, ut pote data propter spirituale ministerium. Unde fit etiam omnes ejusmodi pensiones esse invendibiles absque Simonia.

27. Pensionem Beneficiis imponi posse à Summo Pontifice, indubitati juris est, cum ad ipsum pertineat plenaria Beneficiorum dispositio c. 2. de præb. in 6. & Clem. i. Ut lite pendentie. Quinimo de Stylo Curiæ, solius Summi Pontificis est posse Beneficiis pensionem imponere, quod etiam deducitur ex præscripto Sacrorum Canonum, juxta quos Ecclesiastica Beneficia non possunt ab inferioribus prælatis cum diminutione conferri, ut patet ex c. unico. ut Ecclesiastica Beneficia sine diminut. conseruantur. Ita Suar. lib. 4. de Sim. c. 24. n. 37. & c. 34. n. 16. Azor. p. 2. lib. 8. c. 6. q. 1. aliique.

28. Dixi Beneficiis pensionem imponere. nam ut ibidem rectè notat Azor: aliud est impone-re

re pensionem Beneficio, aliud Beneficiario: pen-
sio enim quæ in ipso beneficio imponitur, est
onus, & servitus in beneficio constituta, ac
proinde non cessat morte beneficiarii, sed trans-
mittitur ad Successorem; at pensio, quæ imponi-
tur beneficiarii personæ, ad Successorem in be-
neficio non transmittitur, sed ipsius beneficia-
rii, cui imponitur morte finitur. Quod igitur di-
ctum est de Stylo Curiæ esse solius Summi Pon-
tificis pensiones imponere, intelligi potissimum
debet de pensionibus, quæ beneficio imponan-
tur. Quod enim attinet ad pensiones, quæ im-
ponantur beneficiario, non est universaliter in-
terdictum Episcopis illas constituere; cum con-
stituere possint causa transactionis, ex c. *Nisi 21.*
de Præb. Si videlicet casus contingere in quo su-
per uno, eodemque beneficio esset jus dubium
seu controversia inter duos Clericos, in quo
casu Episcopus ad componendam litem posset
decernere, ut unus beneficium habeat, sed si-
mul alteri pensionem solvere teneatur: ita ta-
men ut non ipsum beneficium, sed persona be-
neficiarii maneat onerata: ne forte circa pro-
ventus aliqua videatur facta sectio beneficii:
ita quod ipso beneficiario defuncto, successor
ipsius ad præstationem pensionis minimè te-
neatur, juxta textum expressum in eod. cap.
Nisi. Atque ita Azor. in cit. cap. 6. q. 1. inter-
pretatur Authores qui citari solent pro senten-
tia

tia afferente posse ab Episcopis pensiones imponi.

26. Plura alia de pensionibus videri possunt apud Gigan. in tractatu de Pensionibus, Castrop. tract. 13. disp. 1. punct. 11. Azor. p. 2. lib. 8. c. 5. & seqq. aliosque ab ipsis citatos.

T I T. XVII.

De Regularibus, & Abbatibus.

1. Præter Clericos, de quibus haetenus in superioribus egimus, est aliis personarum status in Ecclesia; qui quamvis ex Clericis, & laicis componatur, participat tamen individuali privilegia Clericorum, ac propterea de illo agendum breviter hic est, ut primam institutionum partem, quæ est de Personis Ecclesiasticis absolvamus:

2. Status autem iste est status Religiosus, cuius essentia in eo sita est, ut per tria substantialia vota perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ homines dirigant ad perfectionem Christianæ Charitatis sub jurisdictione Superioris, qui possit illos corrigeri, & ad servandam regularem disciplinam cogere; simulque sit idem status per Sedem Apostolicam approbatus. Ita desumitur ex Laym. Theol. mor. lib. 4. tract. 5. c. 1. aliisque ab ipso relatis.

3. In

3. In hac Religiosi status essentia conveniunt omnes particulares Religiones , quæ sunt in Ecclesia , quamvis inter se differant quoad alia media particularia, quibus ad perfectionem contendunt juxta fines particulares , & formam Instituti quam profitentur ; Aliæ enim sunt Religiones contemplativæ , quarum finis peculiaris est contemplatio . Aliæ activæ , quæ peculiariter exercent opera misericordiæ five spiritualia , five corporalia . Aliæ mixtæ , quæ tum ad contemplationem , tum ad actionem ordinantur . Rursus aliæ sunt Clericales , quæ ad ministeria Clericorum propria specialiter ordinantur : Aliæ Monachales , quæ ex vi suæ Regulæ magis sectantur vitam solitariam . Item aliæ sunt Mendicantes , quæ ex Instituto suo nulla possident bona immobilia , quamvis hodie ex concessione Tridentini Sess. 25. de regular. c. 3. ea in communi possideant , exceptis domibus Fratrum sancti Francisci Capuccinorum , & eorum qui Minorum de observantia vocantur : aliæ non mendicantes , quæ etiam ex Instituto suo admittunt bona immobilia in communi possidenda . Demum aliæ sunt Religiones militares , quæ editis prædictis tribus substantialibus votis specialiter ordinantur ad militandum pro Religione Catholica .

4. Primum ad Religionem ingressum subsequitur probatio seu Novitiatus , in quo post susce-

susceptum habitum debet per Annun integrum versari Novitus antequam ad Professionem admittatur, ita ut si professio antea fiat, sit nulla, ex Trid. in cit. sess. 25. de Regularib. cap. 15. Quamdiu autem tempus illud probationis duraverit, potest Novitus ad s̄eculum libere redire, nisi evidenter appareat, quod absolute voluerit vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino deservire, juxta textum in cap. Statutus 23. de regular. & c. 2. eod. in 6.

5. Ut ejusmodi Novitiorum libertas servetur indemnisi, statutum est à Trid. in cit. sess. 25. de regular. c. 16. ut nulla renunciatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cuiuscumque causæ piz, valeat; nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alia intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jura ta, sit irrita, & nullius effectus. Decernitur etiam ibidem ab eodem Concilio, ut neque ante Professionem, excepto victu, & vestitu, Novitii vel Novitiaz illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiaz sue Monasterium

rium possideat; nec facile, si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit Sancta Synodus sub anathematis poena dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; & ut abundentibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant: quod ut rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. Ita *Trid. in loco civitate.*

6. Absoluto probationis tempore, juxta diversas diversarum Religionum consuetudines, ab iis qui habiles inventi fuerint, celebratur religiosa professio, quæ est contractus quidam Sacer, per quem homo voluntariè in Religione approbata tradit se irrevocabiliter Deo, quoad certum modum, & institutum vivendi, editis tribus votis solemnibus paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, idque acceptante Prælato Regulari nomine Dei, quæ descriptio colligitur ex traditis à Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 2.*

7. Hæc religiosa professio dupliciter fieri potest, nempe vel expressè, vel tacitè. Expressè fit, quæ fit verbis, aut scripto, aut etiam nutibus, vel aliis signis externis indicantibus traditionem personæ profitentis, & acceptationem Religionis, ut colligitur ex *cap. Porrellum 13. de regularib.* Tacitè fieret si quis sciens, & volens completo probationis tempore assume-
ret,

ret, & gestaret habitum proprium Professorum, atque in eo actus proprios Professorum sponte exerceceret, sciente, & consentiente Prælato regulari, qui potestatem habet admittendi ad professionem, & desumitur ex c. *Vidua* 4. eod. Ejusmodi tamen tacita professio non solet nunc esse in usu inter Regulares.

8. Sciendum tamen hic est, ad utriusque generis professionem nonnulla requiri, quibus deficientibus professionis validitas tollitur. Hujus generis est ætas legitima, quæ ex statuto Trid. sess. 25. de regular. c. 15. debet esse 16. annorum expletorum, ac præterea ex supradictis præcessisse debet integer annus probationis: ita ut professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.

9. Secundò requiritur ut professio sit spontanea, & libera, ex cap. 1. *De his quæ vi, metusve causa.*

10. Tertio opus est, ut profitens sit sui juris, nullique aliqua obligatione adstrictus, ratione cuius impediatur ab emitenda sine ejus consensu professione: qua ratione conjugatus post consummatum matrimonium, absque alterius conjugis licentia, invalidè profitetur, ex cap. *Quidnam* 3. & cap. *Placet* 12. de conversione conjugator.

11. De-

11. Demum omissis aliis pluribus ; quæ videri possunt apud Sanch. lib. 5. in Decalog. cap. 4. per totum, requiritur, ut acceptetur non in Religionis ab eo, qui potestatem habet admittendi ad professionem, ex c. ad Apostolicam 16. de regularib., ut etiam indicat ipsa natura contractus ultro citroque obligatorii, pro quo utriusque partis contrahentis consensus requiritur.

12. Quod si Religiosus aliquis prætenderet, se ex defectu alicujus ex prædictis conditionibus misisse professionem invalidam, puta propter defectum ætatis, aut libertatis &c. ac propterea peteret à Religione discessum; in tali casu incumberet ipsi onus probandi talem invaliditatem, quod fieri ab ipso deberet coram suo Superiore, & Ordinario. Imo nec ita audiri potest, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, ut decernitur à Trid. in cit. sess. 25. de regular. cap. 19.

13. Ut in Abbatem, seu Superiorem domus Religiosæ quis eligi possit, requiritur de jure communi, ut in eadem Religione sit Professus, ex c. Cum in magistrum 49. de elect. Imo cum olim sufficeret tacita professio, ut probatur ex eod. c. Cum in magistrum, ubi solum requiritur, ut eligendus in Abbatem sit professus; attamen de jure recentiori relato in c. Nullus 28. de elect. in 6. requiritur professio expressè facta; alias elec^{tio} irrita est.

14. Hæc

14. Hæc autem intelligenda sunt de Abbatे regulari. Alii enim sunt Abbates regulares, alii sacerdotes. Abbates regulares sunt Regulares illi Prælati, qui præsunt regimini, & gubernationi cæterorum Religiosorum. Abbates sacerdotes dicuntur Clerici sacerdotes, qui habent beneficia Ecclesiastica insignita nomine Abbatiae, qui rursus in plures classes dividuntur.

15. Aliqui enim sunt qui dicuntur Abbates ex eo quod præsint alicui Ecclesiæ, quæ ~~aliam~~ Regularis, & conventionalis fuit, sed post defficiente regulari disciplina, aut ex aliquâ alia justa causa, transivit in sacerdotem, seu conferri cœpit sacerdotalibus Clericis, retento nomine Abbatis pro Rectore talis Ecclesiæ, quamvis Monasterium sublatum esset.

16. Alii sunt, qui dicuntur Abbates Commendatarii, ex eo quod illis in Commendam traditum sit aliquod Monasterium. Usum eiusmodi tradendi Clericis in commendam Monasteria, observatum fuisse à temporibus Leonis IV. colligit ex cap. Qui plures 2. quæst. 1. Rebus. in praxi tit. de Comm. nu. 6. Tambur. tom. 1. de Jure Abbatum disp. 4. quæst. 1. aliique. Idque ex dupli potissimum causa observatum fuisse notat Gonz. in cap. Cum Monasterium 13. de elect. num. 13. Primo, ex eo, quod Pælatorum electio oblitus, & controversias eligentium ni-

mis protraheretur : tunc enim ne Monasteri
diu absque Superiore detrimentum aliquod pa-
terentur, commendabantur interim alicui Ec-
clesiasticæ personæ. Secundò, ex eo quod de-
crescente paulatim Monachorum numero, &
Monasteriis penè destitutis, vix idonei regula-
res reperirentur, qui rebus Monasterii utilita-
præfessent. Inde est quod ejusmodi commendationes
olim essent non in perpetuum sed ad tempus, ut
indicat etiam ipsa vox Commendæ: nam com-
mendare nihil aliud est quam deponere, *l. Com-
mendare 186. ff. de verbor. signif. & l. Lucius 24.
ff. Depositi.*

17. Alii demum sunt qui vocantur Abbates,
non quia Monasteriis præficiātur, sed quia dig-
nitatem habent in Ecclesia Collegiata, vel Ca-
thedrali, cui dignitati, vel ex privilegio, vel ex
consuetudine annexum sit nomen Abbatis;
quemadmodum etiam in pluribus locis talium
dignitatum possessores vocantur Piores.

18. Inter istorum generum Abbates aliud
quoque discriminem notandum est, quod aliqui
jurisdictionem habeant quasi Episcopalem su-
pra suos subditos tam Clericos, quam laicos,
unde Pontificiis etiam insignibus utuntur nem-
pe annulo, & Mitra, baculo pastorali: alii autem
nec jurisdictionem Episcopalem habeant, nec
Pontificiis utantur insignibus.

19. Quoad Abbates regulares, multiplex
quo-

quoque illorum species est. Aliqui enim sunt, qui non solum præsunt Religiosorum regimini; sed præterea territorium habent, in quo Episcopalem jurisdictionem, & aliquando etiam temporalet exercent. Alii sunt, qui sub se tantum habent Subditos Regulares, quorum regimini præsunt. Alii demum sunt Abbates solo nomine, qui non habent sub se subditos Regulares, vel quia Monasterium est alio translatum, vel quia Monachi locum relinquerunt &c. unde vocari etiam solent Abbates titulares.

20. De jure antiquiori poterant Abbates Ordinum Monachalium exempti & habentes jus ferendi baculum, & Mitram postquam semel benedicti essent, conferre Minores Ordines: aut saltem primam Tonsuram subditis non solum Monachis, sed etiam laicis, supra quos Ecclesiasticam; & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinebant, ut probat textus in c. *Abbatis 3. de ptivil. in 6. Hodie tamen ex Trid. sess.*
23. de reform. c. p. 10. non licet Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: imo nec concedere possunt litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut

ab aliis ordinentur : sed horum omnium ordinatio pertinet ad Episcopos , intra quorum dioecesis fines existant : non obstantibus quibusvis privilegiis , præscriptionibus , aut consuetudinibus , etiam immemorabilibus . Concedentes autem dimissorias contra formam decreti , ab officio , & beneficio per annum sum ipso jure suspensi .

21. De Abbatibus si quis plura scire velit , consulere potest Tambur. in tractatu cui titulus est *De Jure Abbatum* , Barbosam *de Jure Ecclesiastico lib. I. cap. 17.* aliosque plures ab ipsis citatos .



IN.